
DE THESEO: QUAESTIO ARCHAEOLOGICO

August Schultz





113.

DE THESEO.

QUAESTIO ARCHAEOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

AUGUSTUS SCHULTZ.

VRATISLAVIAE.

VENUM DANT TREWENDT & GRANIER.

1874.

RICHARDO FOERSTER

SACRUM.

078

Non sum nescius fore, qui novam de Theseo disputationem propter rei obscuritatem, quippe quae diversissimas sententias iam procreaverit, inutilem arbitrentur. Neque vero negari potest ea quae nuperrime de hac quaestione prolata sunt, tantopere discrepare, ut paene non posse conciliari videantur id quod tamen ideo tantum factum esse mihi persuasi, quod viri docti leges omnino non exstantes ad illud templum adhibere voluerunt. Itaque operae pretium me non esse perditurum confido, si ea, quae illos commoverunt, ut alius aliam denominationem ne ipsis quidem plerumque satis certam excogitarent, falsa esse temploque antiquitus traditum nomen nunc quidem fere a nemine ei concessum, illis autem obstaculis remotis omnium consensu unice verum, restituendum esse demonstrabo. Paene eodem modo quo de toto templo, etiam de explicatione zophori orientalis ambigitur, quare cum templi sculpturas optimum nominis indicium iudicarem, facere non potui, quin etiam has accuratius pertractarem, id quod eo maiore studio sum amplexus, quod prof. R. Foerster, praeceptor carissimus, ea quae Athenis de statu hodierno illius zophori adnotavit, summa benevolentia mecum communicavit, quibus nixus explicationem nonnullis locis certiorem atque accuratiorem proponere potui.

Cum totam quaestionem iam absolvissem, Gottingae in lucem est edita nova de Theseo disputatio, qua Lollingus templum de quo agimus Vulcano cum Minerva conjuncto attribuendum esse demonstrare studet. Quid de paucis eius novis argumentis iudicandum sit, suo loco dicetur, hic tantum moneo, Lollingum in eis quae de sculpturis adnotavit, foramina et clavos aëneos indicare omisisse, quae praecipue in figuris tam mutilatis magni momenti sunt. Haec et multa alia, quae neglexit, optime eis, quae prof. Foerster animadvertit, supplentur. Conspectum sententiarum diversarum de Theseo adhuc prolatarum, quem hic propositurus eram, cum nunc apud Lollingum legi possit, omitto.

Cap. I.

Iam Phaedone archonte (Ol. LXXVI. 1) Athenienses Theseï ossa investigare et in terram suam transportare ab oraculo Delphico iussi erant. Sed cum nescirent, ubi quaererent, imperata non fecerunt, dum Scyro expugnata Cimo in illa insula ea exploravit, quo facto summis cum honoribus Athenas deducta media in urbe condita sunt (Apsephione archonte 470/69), *καὶ κεῖται μὲν ἐν μέσῃ τῇ πόλει παρὰ τὸ νῦν γυμνάσιον*, ut ait Plutarchus (Thes. 36)[1]. Pausanias 1, 17, 2 nos docet, ab illo gymnasium Ptolomaei significari, quod, ut idem Pausaniae locus demonstrat, non longe a foro remotum erat. Quare cum haud procul a foro mediae fere inter Thesēum et portam *Ἀθηνᾶς Ἀρχηγέτιδος* parietinae porticus inventae essent eodemque loco subscriptio statuae Ptolomaei, Iubae filii, quem Ptolomaeis Aegyptiis consanguineum fuisse Boeckhius demonstravit[2], nihil certius videbatur, nisi has esse reliquias illius Ptolomaei[3], praesertim cum etiam Pausanias in illo gymnasio statuam Iubae commemoraret, formaque structurae plane Ptolomaeorum temporibus apta esset[4]. Confirmabatur haec opinio inscriptionibus ad res epheborum pertinentibus ibi inventis, praecipue ea qua

1) cf. schol. ad Aesch. Ctes. 4 § 13. Paus. 3, 3, 6. Plut. Cim. 8. Diod. 4, 62.

2) C. I. Gr. nr. 360. Brunnius (Ann. d. Inst. 1861 p. 412) etiam caput statuae inventum esse putat.

3) cf. Ross, Theseion p. 49 sqq. Curtius, Att. Studien I. p. 77. Bursian, Geogr. v. Griech. I, 290.

4) cf. Leake, Topogr. v. Athen, deutsch v. Baiter u. Sauppe p. 188.

bibliothecae in Ptolomaeo conditae mentio fit[1]). Sed praeterquam, quod locus, quo Ptolomaei, Iubae filii titulus inventus sit, non satis constat, inscriptione autem, in qua bibliothecae mentio est iniecta imperatur, ut in foro proponatur, non in Ptolomaeo, id semper est tenendum ex loco, quo inscriptiones illae inventae sint non posse concludi locum, quo olim steterint, nedum locum eorum aedificiorum, quae in eis commemorentur, cum Athenis saepissime locum mutaverint[2]). Sine ulla vero dubitatione, quam falsa illa sententia fuisset, demonstratum est, cum anno h. s. LXII inscriptio epistylii erueretur, haec verba exhibens:

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΤΤ   ΒΑΣΙΛ
ΒΑΣ   ΣΗΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙ

(*βασιλεὺς Ἄτταλος ὁ βασιλέως Ἀττάλου καὶ βασιλίσσης Ἀπολλωνιάδος*, ut certissime est supplendum[3]).

Neque enim iam dubitari potuit, quin haec porticus Attali esset, cuius Athenaeus V p. 212 mentionem facit, si quidem constat, quod Wachsmuthius contendit, epistylium illud pertinere ad columnas eodem loco inventas.

At fortasse demonstrari potest, porticum ibi sitam non fuisse, quod ex aliis documentis appareat alibi eam fuisse. Qui enim primi hanc quaestionem tetigerunt, prope viam, qua Pausanias ad forum accedit, eam collocaverunt[4]), nulla certa ratione adducti, nisi forte, ut in aliquo loco ponerent, quod

1) Curtius, Nachr. v. d. Ges d. Wiss. z. Goettingen 1860 p. 323 sqq.

2) Wachsmuth, Arch. Ztg. 1863 p. 101. Curtius, Att. Stud. I, p. 54. Boetticher, Philol. III. Suppl. p. 288.

3) publici iuris facta est a Kumanude *δύω γεν. συνελ. τ. ἀρχ. ἑταιρ.* 1862 p. 7 sqq. Nullam vim habet excusatio, quam Dittenberger (de eph. Att. p. 51) in auxilium vocavit, duorum exemplarium alterum in foro, alterum in Ptolomaeo fuisse propositum, in titulo enim, quem affert (*Εφ. ἀρχ.* nr. 4098) hoc factum esse commemoratur, in illa autem inscriptione nec commemoratur nec verba mutilatione excidisse possunt. Nec magis probabile est, quod Kumanudes censet, *ἐν ἀγορᾷ* de Ptolomaeo esse intellegendum, quia hoc prope forum situm erat. Wachsmuthius (Rhein. Mus. XXIII. N. F. p. 12) in una ex illis inscriptionibus etiam huius propositionem in Ptolomaeo indicari urget, sed titulus quem modo laudavi satis demonstrat, quantulum inde de situ discatur. Ceterum cf. Arch. Ztg. 1861 p. 171*.

4) Leake, Topogr. p. 352. Bursian, Geogr. v. Grich. I. p. 290.

porticus anonymae a Pausania ibi enumerantur, vel quod in illa regione Athenio habitabat, quem Athenaeus inde in rostra ante Attali porticum exstructa processisse narrat. Vides quam illa non satisfaciant ad id quod contenditur probandum. Fea[1]) primus hanc porticum Attali eandem esse iudicavit atque eam quae commemoratur a Vitruvio (V, 9), quamquam ibi porticus Eumeniae[2]) legitur, quam sententiam denuo arripuit Forchhammer[3]) novisque rationibus confirmavit. Inquirendum igitur nobis est, quid de eis sit iudicandum. Athenaeus l. c. narrat, Athenionem bello Mithradatico Athenas ingressum, cum Ceramicus plenus civium hospitumque esset, in rostra ante porticum Attali exstructa ascendisse populumque esse allocutum, qua oratione Athenienses esse adductos, ut in theatrum festinarent ibique eum imperatorem crearent. Non videtur probabile Forchhammero, cives a rostris usque ad theatrum Athenionis creandi causa cucurrisse, cum hoc aeque in foro facere potuerint. At in theatro comitia fieri solebant illis temporibus, non in foro, quare oportebat Athenienses, quamvis longe a foro theatrum abesset, tamen eo se conferre, si Athenionem creare voluerunt, nec tamen ex hac re quicquam de intervallo inter porticum et theatrum discimus. Immo, quod illa Vitruvii porticus Eumenia prope theatrum sita erat, id ipsum clarissime indicat eam prorsus ab Attali porticu diversam fuisse. Cur enim Romani imperatores, ut Athenaeus refert, rostra ante illam constituissent, si in platea nescio qua sita fuisset. Rostra autem nulli alii loco apta sunt, nisi foro, ubi contiones habebantur neque alio loco Athenionis contio erat, nam ante orationis commemorationem praedicitur, magnam hominum multitudinem *ἐν Κεραμεικῷ*, qui saepissime pro foro usurpatur[4]) ut *ἐκκλησίαν αὐτόκλητον* confluxisse. Etiam leviora cetera sunt unde Forchhammer colligit, Attali porticum eandem fuisse atque Vitruvianam. Quis enim cum docuerit, ante illam porticum

---

1) Etiam J. G. Schneider et Marinius ad. Vitr. l. c. Feae assentiuntur.

2) corr. pro. Harlaiani scriptura Eumenici.

3) Philol. XXXIII, p. 29.

4) Wachsmuth, Rhein. Mus. XXIII, p. 39 sq.

statuas Eumenis II et Attali II stetisse, nescio; hoc tantum Plutarchus (Ant. 40) refert, Athenis aliquo loco illas duas statuas fuisse; nil obstat, quin in foro vel apud aliud opus illorum regum, quibus Athenienses multa[1]) debuerunt, steterint.

Reiectis igitur argumentis, quibus illas parietinas porticum Attali esse non posse viri docti demonstrare studuerunt, non possumus Wachsmuthii sententiam non comprobare. Attamen numerus inscriptionum ad ephebos pertinentium tantus est, ut negari non possit, gymnasium et quidem haud dubie Ptolomaeum non longe abfuisse, sed quo in latere non liquet; etsi enim occidentalis frons porticus foro adversa erat, tamen potuit gymnasium paullo magis septentrionem versus esse situm. At si hoc statuas, Ptolomaeum ab illo templo, quod Thesēum esse demonstraturus sum, intervallo non nimis parvo erit disiunctum; quantumvis enim occidentem versus Ptolomaeum extendas, tamen plateam, quae a dipylo ad forum ducebat, iuxta clivum Thesēi, vel inter clivum illum et regionem, in qua Ptolomaeum collocavi pertinuisse censendum est, quod num fieri potuerit, quamvis gymnasium prope Thesēum situm fuisse dicatur, dubitari possit[2]). Aut igitur hoc explicabitur aut omnino illud Thesēum esse demonstrari nequit. Atque in hac re gravissimum puto, quod in illa via a Pausania nulla commemorantur aedificia. Si enim reliqua minus nobilia erant, alterum ex altero designari paene debuit, etsi platea sejuncta erant. Thesēum praeterea optime se offerebat ad situm alius monumenti signi-

---

1) Suid. s. v. *Εὐμένης*. Porticus ab Attalo II dedicata erat, id quod commemoratio matris indicat.

2) Pausaniam porta Piraica urbem intrasse dilucide demonstraverunt Bursianus (de foro Athen. p. 3—5) et Wachsmuthius l. c. p. 36 sq. Si illud tamen verum sit, quod Curtius (Topogr. p. 49 sq.) contendit, dipylo Pausaniam intrasse, sane Ptolomaeum sub clivo, in quo Thesēum stat, situm fuisse censendum est (cf. Curtius, Acht Karten z. Topogr. v. Athen tab. 1). Incredibile enim est, Pausaniam inter illa duo monumenta procedentem nullam eorum mentionem fecisse, post propter ea ipsa a cursu suo declinasse. Sed quoquo modo haec se habent, Ptolomaei certe situm multo incertiorem esse quam Thesēi, ex disputatione supra proposita apparebit; ex illius igitur huius situm, non contra concludemus.

ficandum, cum in clivo satis edito esset exstructum conspicuumque magnitudine[1]).

Haec difficultas, de qua modo egi, sane evitatur, si Ptolomaeum sub Thesēi clivo in occidentali fori parte ponas; sed praeterquam quod ita inscriptiones plane neglegendae sunt, etiam spatium inter clivum et forum relictum minus videtur, quam quod tantum gymnasium continere potuerit. Aliam quidem rationem, qua commoti viri docti Thesēum hic situm fuisse negaverunt, probare nequeo. Bursianus enim l. c. p. 5 et Wachsmuthius l. c. p. 13 Ptolomaeum in Ceramico situm fuisse rati, a clivo Thesēi, qui pago Melitensi ascribendus esset, excluserunt. Quae quamquam ut certa proferuntur, si trutina examines, plane fundamento carere invenias. Commemoratur enim apud Pausaniam in Ptolomaeo statua Chrysippi stoici; apud Ciceronem (de fin. I, 11, 39) autem legimus: *statua est in Ceramico Chrysippi sedentis porrecta manu*, id quod confirmatur a Diogene Laertio (VII, 182) statuam equitis, qua paene contegeretur, proxime adstitisse addente. Ex his concluderemus, Ptolomaeum in Ceramico fuisse, si demonstrari posset, Athenis nullam aliam statuam fuisse Chrysippi, nisi in Ptolomaeo. Sed quis, quaeso, statuam in Ptolomaeo i. e. monumento moenibus circumdato collocatam, ut in pago, ad quem monumentum pertineat, positam commemoraret? Huc accedit quod commemoratio statuarum in Ptolomaeo dedicatarum talis est, ut Pausanias omnes, quas viderit, enumerasse videatur, quod si factum est, Chrysippi statua non eadem esse potest, atque ea, quam Diogenes tetigit, quippe quae prope equitem steterit. Atque adeo, ubi haec altera fuerit, si non demonstrare, at certe conicere posse mihi videor. Feliciter enim factum est, ut *μνήματα* eorum, qui in exteriore Ceramico sepulti erant, enumerans Pausanias etiam Chrysippi mentionem faceret. Valde probabile mihi est, ibi etiam statuam Chrysippi fuisse, quam Cicero et Diogenes optime ut in Ceramico positam laudare potuerunt.

Superest, ut de novissimo situs Ptolomaei explorandi conatu verba faciam. Pervanoglus[2]) enim cum videret etiamin

---

1) Praepositiones *πρός* et *παρά* sane nihil aliud significare possunt, nisi *,neben'*.

2) Philol. XXVII, p. 670.

domo doctoris Lytzikas (XX passus ab horologio Andronici Cyrrhestis occidentem versus) parietinas extare, quibus nondum aptum nomen dari potuisset, Ptolomaeo eas attribuendas esse non dubitavit conicere[1]. Sed neque ipse hoc pro certo proponere est ausus, nec magnam eis fidem habebimus, si memores erimus, haec ideo tantum proferri, ne collocatio Thesēi, quae Pervanoglo placuit, prorsus probabilitate careat. Itaque non mirabimur eum paene nihil invenisse, quo sententiam suam confirmaret. De loco enim, quo basis Ptolomaei inventa sit, nihil constat, ut supra dictum est; nullo autem modo fieri potuit, ut Pausanias tantum spatium, quantum inter forum et illam domum intercedit, ita significaret: *τῆς ἀγορᾶς ἀπέχον οὐ πολύ*[2], non vacua area, sed permultis aedificiis interiectis. Cum igitur ne Pervanoglus quidem situm Ptolomaei demonstraverit, in quaestione de Thesēo instituenda Ptolomaeum plane erit omittendum.

Plus de situ Thesēi effici puto descriptione amazonomachiae a Plutarcho[3] e Clidemo excerpta quae quamquam ficta est, tamen loca ibi commemorata, quae, ut par est, Plutarcho satis nota erant, ita sita fuisse censendum est, ut narrationis ratio exigit. Sententiae sane virorum doctorum[4] de hac pugna in diversissimas abeunt partes, attamen nonnulla praecipue huc pertinentia constitui posse confido, dummodo non omnia accurate definire velis. Constat situs Musei, *Σεμνῶν*[5] in Areopagi latere quod arcem spectabat, portarum Piraïcarum inter collem S. Anastasii et collem Nympharum[6]. Pnycem autem Lollingus rectissime in colle Nympharum posuisse mihi videtur, cum locus, quem tracto, id requirat, nam *τάφοι* eorum qui in illa pugna occiderant, haud dubie in eadem regione erant, qua occidisse ferebantur. Quare cum sepulcra illa commemo-

---

1) cf. Curtius, Topogr. p. 45.

2) Astute dicit P.: *Pausanias fuehrt zuerst (nach dem Markte) in das Gymnasium des Ptolomaeus nicht zu entfernt von der agora.*

3) Plut. Thes. 27.

4) cf. Curtius, Att. Stud. I. p. 104. Lolling., Nachr. v. d. Ges. der Wiss. z. Goettingen 1873 p. 478—484.

5) Bursian p. 284. Wachsmuth p. 27.

6) Bursian p. 278. Wachsmuth p. 43 sq. Curtius, Textbeilage III.

rentur in platea ad portas Piraïcas ducenti, cumque occidissent, postquam Athenienses dextrum Amazonum cornu, quod ad Pnycem stetisse paullo ante commemoratur, a Museo exorsi aggressi sunt nec tamen repellere potuerunt, Pnycem prope plateam Piraïcam fuisse iudicandum est. Non notum contra censeo situm Amazonii. Sunt quidem inter quos Lollingus qui Aeschyli Eum. vv. 688 sqq.:

πάγον τ' Ἄρειον τόνδ' Ἀμαζόνων ἕδραν
σκηνάς θ', ὅτ' ἦλθον Θησέως κατὰ φθόνον
στρατηλατοῦσαι καὶ πτόλιν νεόπτολιν
τήνδ' ὑψίπυργον ἀντεπύργωσαν τότε

usurpaverint ad descriptionem pugnae illustrandam. At si legimus apud Clidemum Athenienses, qui a Museo profecti erant, ad Semnas recessisse, hic plane aliam excercituum dispositionem esse fictam atque apud Aeschylum apparet. Nam cogitari nequit, futurum fuisse, ut Athenienses ad Semnas recederent, si apud illas castra Amazonum fuissent. *Ἀμαζόνων ἕδρα* Aeschyli, ne multa, *Ἀμαζόνιον* Clidemi esse non potest. Videamus nunc, quid descriptio ipsa doceat.

Pugnam in planitie inter arcem et tractum collium occidentalium commissam esse, ut plerique statuunt, non in occidentali eorum parte, ut Lollingus autumat, facillime inde colligas, quod claris verbis Clidemus narrat, d e x t r u m Amazonum cornu Pnycem tetigisse; quocumque enim loco tractus illius Pnycem collocas, semper Amazonum excercitum in orientali eius parte instructum fuisse apparet, quippe qui a meridie (Museo) oppugnaretur, meridiem igitur spectaret, quod plane neglexit Lollingus exercitum occidentem spectasse fingens[1]). Quid? quod dextrum Amazonum cornu secundum Lollingi sententiam ab Atheniensibus remotissimum primo ab eis impugnatum est; quibus tam fortiter restitit, ut illi cogerentur se recipere. Nempe ad Museum. Minime; per mediam hostium aciem ad Areopagum, in quo Lollingus castra Amazonum collocat. Quis haec intelligere, nedum comprobare possit?

Contra omnia plana sunt, si in orientali collium latere pugna committebatur. Nam hoc modo pugnatur. Primo Athenien-

1) *Vor ihrem Lager mit Ausdehnung nach Norden und Süden.*

ses usque ad plateam Piraicam procedunt, inde repressi non refugiunt statim ad Museum, sed propinquiore colle (Areopago) nituntur; quo novis copiis corroborati rursus progressi sint, non dicitur, probabilissime eandem regionem versus, quam antea; certe ex eo quod arx plane silentio praetermittitur, discas, magis in occidentalibus huius vallis partibus pugnatum esse, pax autem haud dubie inter illas duas acies facta est, quare *ὁρκωμόσιον* magis in occidentali, quam in orientali parte est collocandum. Vides, quo rem deducam. Nam cum Plut. Thes. 27 dicat: *τοῦ γε τὸν πόλεμον εἰς σπονδὰς τελευτῆσαι μαρτύριόν ἐστιν ἥ τε τοῦ τόπου κλῆσις τοῦ παρὰ τὸ Θησεῖον ἥ τε . .*, apparet, ne Thesēum quidem in orientali vallis parte i. e. in orientali fori latere situm fuisse posse.

Rossius [1]) praecipue nitebatur Plutarchi verbis: *καὶ κεῖται μὲν ἐν μέσῃ τῇ πόλει*, sed his non situm accurate definire voluit, sed generali sensu apposuit ad honores summos Thesĕo habitos demonstrandos, qui non, ut ceteri mortui, extra urbem [2]), sed intra moenia esset sepultus [3]). Plane eodem modo schol. ad Arist. Equ. 297 dicit Mercurium stetisse *ἐν μέσῃ τῇ ἀγορᾷ*, qui cum *παρὰ τῇ πυλίδι* esset et *πυλίς* sive *πυλών* ostium viae in forum se aperientis, Mercurium non medio in foro, sed tantum intra forum stetisse apparet. Quod autem Wachsmuthius l. c. p. 13 verba *παρὰ τὸ νῦν γυμνάσιον* addita indicare putat, Pausaniam accurate situm definire voluisse, non video, cur propterea etiam verba *ἐν μέσῃ τῇ πόλει* ad accuratam situs descriptionem sint referenda, immo sic plane supervacanea essent.

Optime Thesēi situm sciremus, si cognatorum heroum *ἱερά* semper propinqua fuisse constaret, quod quia non potest demonstrari, non nitar eo argumento quod nunc sum prolaturus sed cetera eo non nihil confirmari arbitror. Melanippeum enim, filii Thesēi *ἡρῷον* in pago Melitensi situm erat [4]), Rossius [5])

1) Ross, Theseion p. 38.

2) Cic. legg. 1, 2, 23. Ep. ad. fam. 1, 4, 12. Plut. Tim. 39. Paus. I, 29, 4.

3) cf. Curtius, Arch. Ztg. 1843 p. 102.

4) Harpocration s. v. *Μελανίππειον*.

5) l. c. p. 51.

igitur, qui illum pagum in orientali fori parte collocaret, inde conclusit, etiam Theseum in orientali fori parte fuisse, sed nescius id, quod refellere voluit, fulsit; nunc enim, cum Curtius [1]) luculentissime demonstravit, Melite in occidentali fori parte fuisse, etiam Melanippeum ibi fuisse apparet eorumque sententia confirmatur, qui etiam Theseum in occidentali parte collocant. Nuper novum subsidium ad Thesei situm definiendum videbatur esse inventum inscriptionibus ad Demetrium Katiphori effossis, in quibus haec verba inerant: *ἀνέθηκεν δὲ καὶ στήλην ἐν τῷ τοῦ Θησέως τεμένει* [2]). Pervanoglus [3]) enim inde conclusit, Theseum prope illum locum situm fuisse; confirmari haec sententia eo videbatur, quod sic Theseum haud procul a templo Serapidis eoque loco abfuisset, quo Theseus cum Pirithoo, antequam in Orcum descenderent, convenisse ferebantur, quodque ibi reliquiae statuae inventae erant, quas Pervanoglus cum taurino capite, ut Minotaurus efficeretur, conjungendas censuerat [4]). At quomodo hanc sententiam cum Pausania concilies, qui etsi in descriptione Athenarum non omni vitio caret, aperte tamen falsa non protulit. Ptolomaeum a foro non longe abest, prope hoc Theseum; est quare ne id quidem nimis longe a foro abfuisse potest. Forum contra et Demetrius Kat., ut ex veterum Athenarum delineatione cognoscere licet, longissimo intervallo distabant. Bene hoc sensit Pervanoglus, qui, ut hanc difficultatem elevaret, Ptolomaeum in parietinis domus, quae est doctoris Lytzikas, collocavit, quod fieri non posse supra est demonstratum. Quid vero? Nonne claris verbis in illa inscriptione dicitur, titulum in Thesĕi area fuisse propositum? Quasi vero inde statim sequatur illo loco etiam Thesĕi templum situm fuisse. Non eo perfugiam, ut illum lapidem ex alio loco eo transportatum esse dicam, quod parum probabile est, cum ceterum ille titulus ad alias epheborum inscriptiones ibi inventas optime quadret. At enim non una tantum Thesĕi area, Athenis exstitit; duas schol. Aesch. l. c. commemorat, Pausanias

1) Att. Studien p. 58—63.
2) Philistor I, 15 p. 152, III, 2 p. 150.
3) Philol. XXVII p. 670 sq.
4) Arch. Ztg. 1866 p. 160.

ipse praeter Thesēum, quod *κατ' ἐξοχήν* ita appellabatur, locum *συνθήματος* Thesĕi et Pirithoi, ubi haud dubie aeque Thesĕi area, consecrata erat, quin Plutarchus quattuor Thesĕum sibi reservasse areas refert, cum ceteras Herculi condonaret[1]), quas tamen non omnes in urbe sitas fuisse censendum est. Ipsa autem inscriptionis verba *ἐν Θησέως τεμένει* paene indicare videntur hoc non fuisse notum illud, quod *Θησεῖον* dictum esset, sed haud dubie aream *συνθήματος*, quae non longe a Demetrio Kat. aberat.

Loci reliqui, in quibus Thesēi mentio fit, nihil de situ ejus afferunt, nec tamen sunt neglegendi, cum quam magnum, pulchrum, celebre fuerit, declarent.

Plutarchus (de ex. 17) Thesēum aeque coli autumat, atque Parthenonem et Eleusinium quamvis heroi consecratum, qui propter caedem fugerit. Hegesias autem apud Strabonem (IX p. 396) splendidissimis monumentis perturbatus totius urbis summa decora Erechtheum, Eleusinium, Leocorion, Thesēum proponit, omnia accurate explicare se non posse confessus. Libanius (Socr. apol. p. 54 R.) Thesĕum debitos honores accepisse Thesēo declarari dicit. Ad situm sacelli *ἥρωος ἰατροῦ* designandum usurpatur a Demosthene (de cor. 129). Falso autem scholiastes in his Aristophanis verbis (Eccl. 685):

καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ Βῆτ' ἐπὶ τὴν στοὰν ἀκολουθεῖν
τὴν βασίλειον δειπνήσοντας, τὸ δὲ Θῆτ' ἐς τὴν παρὰ ταύτην.

τὴν παρὰ ταύτην Thesēum explicat, nunquam enim Thesēum *στοά* appellari potuit, ac ne id quidem inde concludi potest, prope porticum regiam illud fuisse, immo temere scholiastes, quomodo *στοὰ βασίλειος* litterae *Β* respondebat, etiam hic aedificium excogitavit a vocula *Θ* incipiens.

Satis amplum ejus *τέμενος* erat ad magnum numerum hominum excipiendum, nam tempore litis Hermocopidarum milites Athenienses unam noctem in eo armati cubuerunt[2]). Eadem congregatio militum in Thesēo facta commemoratur ab Andocide[3]). Ibi thesmothetae magistratus sortiebantur[4]), ibi *ἄσυ-*

1) Thes. 35
2) Thuc. 6, 61.
3) de myst. § 45.
4) Aesch. Ctes. 4 § 13.

λον servorum erat[1]), quo confugiebant, si crudelitatem dominorum veriti, ut venirent, petebant, ibi etiam judicium de eis habebatur[2]). Quod autem Mommsenius[3]) contendit, Anonymi Viennensis verba, quae vulgo de Theseo intelleguntur[4]). ἄντικρυς δὲ τούτων ἐστὶ βωμός, εἰς ὅν ταφῆς ἀξιοῦνται οἱ παγκρατιασταὶ καὶ Ὀλύμπιοι ἐν ᾧ φοιτῶντες οἱ ῥήτορες τοὺς ἐπιταφίους λόγους ἀνεγίνωσκον, ostendere orationes funebres ibi habitas esse, quamquam propter artam Theseorum et Epitaphiorum novum fulcrum esset denominationis Thesei, parum est credibile, cum Philostr. V. Soph. 2, 30 p. 273 K. et Heliodorus Aeth. 1,17 demonstrent, in Academia illud factum esse. Tres parietes (dedita opera nihil aliud addo) picturis Miconis erant ornati: Thesĕi cum Amazonibus et Centauris pugnis atque tertio facto non satis explicato[5]). De zophoro non magis quam de Parthenonis Pausanias verba facit. Simpliciter τέμενος ἀνειμένον τῷ Θησεῖ interpretatur Harpocratio s. v. Θησεῖον. Tria reliqua Thesea, quae Plutarchus l. c. commemorat, haud dubie revera exstabant, sed quae fuerint difficile est dictu; unum commemoratur in Piraeo[6]). Contra nego, quod Rossius[7]) contendit, intra Μακρὰ τείχη Theseum extitisse secundum Andoc. l. c.; etsi enim imperatores τοὺς ἐν Μακρῷ τείχει in Theseum

1) Phot. s. v. Θησεῖον. Etym. M. s. v. Θησειότριψ Suidas. s. v. Θησεῖον.

2) Hesych. s. v. Θησεῖον, Pollux 7, 13 Aristophanis Ὥρας laudans. Philochorus etiam alios ἱκέτας eo confugisse autumat. Et. M. s. v. Θησειότριψ.

3) Heortologie p. 279.

4) Ross, Theseion p. 1.

5) cf. de hoc Jahn, Arch. Aufs. p. 20. Brunnius (Gesch. d. griech. Künsler II, p. 24 et eum secutus Overbeckius (Schriftquellen p. 208) cum Pausanias nonnulla de morte Thesei adjungat, quartam picturam statuerunt; sane Pausanias nonnunquam fubulas refert eis rebus in quibus repraesentatae erant, non commemoratis, sed non minus Pausaniae est mythorum curiosi ad fabulas similes devertere, id quod etiam hic usu venisse puto, quod quartus murus haud dubie portis occupatus picturis excipiendis non vacabat, quod si comprobes, aptissime articulum in tertio muro Pausanias usurpavit: in tertia, quae super est. Praeter Miconem etiam Polygnotum in his picturis componendis occupatum fuisse, fere omnes consentiunt (Brunn II, 14 A. 4); quod enim apud Harpocrationem, Suidam, Photium. s. v. Πολύγνωτος, Eudociam p. 340 legitur ἐν θησαυρῷ, cum sensu careat, rectissime in ἐν Θησείῳ est mutatum.

6) C. I. Gr. 103.

7) p. 33. Anm. 95.

congregari iusserunt, non iudicandum est, hoc intra illa moenia fuisse, dummodo non nimis longe abesset; neque igitur est, cur hic notum illud Thesēum non possit intellegi, sane si hoc, ut Rossius in orientali fori parte collocamus, ad aliud confugiendum est; num Thesēum *κατ' ἐξοχήν* et locus *συνθήματος* a Plutarcho illis quattuor comprehensa sint, dijudicari nequit.

Cap. II.

Quae cum ita essent, jam inde a Stuarto viri docti ecclesiam. S. Georgii hoc templum esse putaverunt, neque enim quidquam erat, quod huic opinioni repugnaret, templum autem ipsum nullam aliam denominationem admisit, illa lege probata, quam Curtius proposuit: *Dasz, wie jedes wahre Kunstwerk ein alter Tempel aus sich selbst erklaert werden muesse und dasz seine Idee bei vollstaendiger Erhaltung dem Beschauer nicht zweifelhaft bleiben koenne*[1]. Nam quamquam in tympanis nullae sculpturae reliquiae extant[2], tamen sculpturae omnes non deletae ad Thesĕum sunt referendae. Quoquo enim modo explicatur zophorus orientalis, mediam figuram Thesĕum esse paene nemo negat, zophorus autem occidentalis celeberrimam illam contra Centauros pugnam ostendit. Quae cum propter comites[3] nulli alii nisi Thesĕo ascribi possit, nullius momenti duco, quod nulla figura certo Theseus appellari potest. Nam is, qui modo Centaurum prostravit, quemque Stuartus et Leakius Thesĕum esse contenderunt, nihil habet, quo ceteris praestet; praecipue si zophorum or. comparamus; certe quod a Micone simili habitu pictus erat Theseus, rem nullo modo conficit. At enim in fronte templi omnes decem metopae Herculis pugnas exhibent! Quas tantum abest, ut sententiae supra propositae repugnare putem, ut aeque atque octo in lateribus Thesĕi facta continentia ad Thesĕum referendas esse neque cum illis conjunctas aliam significationem habuisse posse arbitrer. Non solum enim

---

1) Curtius, Arch. Ztg. 1843 p. 103. Wachsmuth ib. 1863 p. 98.

2) Utrumque tympanon sculpturis erat ornatum ut Wachsmuthius, Rhein. Mus. XXIV. p. 43 docuit, postquam diu de ea re dubitatum est.

3) Herculis Centauromachia sine sociis est perpetrata.

conjunctissime vixerant Theseus et Hercules, sed etiam ille huic, a quo captivitate liberatus erat, *τεμένη* largitus esse dicitur quod praeter Plutarchum Euripides (Herc. fur. 1328 sqq.) refert; haec narratio omnino oriri non potuisset, nisi in areis Theseo consecratis honores etiam Herculi habitos Athenienses animadvertissent, qui quales fuerint, sequentia verba indicant:

θυσίαις σε λαΐνοισί τ' ἐξογκώμασιν
τίμιον ἀνάξει πᾶσ' Ἀθηναίων πόλις.

Notum enim est, Euripidem artis pertissimum quam saepissime ejus operum mentionem inicere[1]); quare cum Herculem furentem, ut metra docent, haud dubie posteriore tempore (post pacem Niciae) concsripserit[2]), i. e. tempore nostro templo inferiore, non absonum videtur, eum hujus splendidissimi templi sculpturis motum illa enuntiasse. Picturas denique etiam in nostro templo fuisse, ex eo cognoscitur, quod certissima extant in muris vestigia[3]).

Singulare autem adminiculum Theseï denominatio accepit, descriptione Athenarum inventa, quae patefecit, quae Atheniensium de hoc templo opinio saeculo XVo fuisset. Detlefsenius enim in bibliotheca Parisiensi fragmentum libri *περὶ τῆς Ἀττικῆς* invenit[4]) in codice, ut formae litterarum indicabant, non post XVum saeculum scripto: contra commemoratio templi Turci in arce (*τὸ ἰσματδ*) nos docet, descriptionem illam factam esse post a. 1456. Atque haec quidem sunt eius verba: *εἰς τὸν ἅγιον γεώργιον τὸν ἀκαμάτι, ἦτον τὸ κεραμεικὸν καὶ ὁ ναὸς τοῦ θισέως*, quae Athenis traditam illam appellationem fuisse demonstrant; etsi igitur non omnia illi scriptori credemus[5]), praesertim cum hoc ipso loco cum Theseo conjungat Ceramicum, qui sane non longe aberat, tamen rei per se probabili magna accrescit auctoritas ex illa relatione tempore facta, quo nondum incolarum mentes a viris doctis ad falsa proferenda se-

1) cf. Kinkel, Euripides u. d. bildende Kunst. Leipzig 1872.

2) cf. Dindorfium in Poett. scenn. Graecis Vita Euripidis p. 22 et 23.

3) Ross, Theseion p. 56. Stark, Phil. XIV, p. 715. Boetticher, Tekt. 1. Lief. p. 56.

4) publici juris factam in Arch. Ztg. 1862 p. 100*.

5) Wachsmuth, Arch. Ztg. 1863 p. 102. Rhein. Mus. XXIII p. 11 sq.

ductae esse potuerunt. Babinium[1]) certe hoc nomen non excogitasse, ut Rossius[2]) vult, illius ipsa verba indicant: ‚*un ancien temple d'idôles tout de marbre, qui depuis le règne de Thésée roy d'Athènes, qui le fit bâtir, est demeuré en son entier. Les chrétiens le changèrent en une église, qu' ils dédièrent à St. George*' is tantum dicere potuit, qui hoc Thesēi templum esse pro certo habuit; id ipsum quod Thesēi nomen non recte intellexit et Thèsēum conditorem pro domino templi habuit, eum nomen auditu accepisse non excogitasse indicat. Quid? quod templum nostrum foro imminet, in quo vel prope quod Graeci monumenta conditorum ponere solebant[3]). Huc accedit, quod, si revera templum olim Thesēum fuit, denominatio christiana (ecclesia S. Georgii) optime concinit cum ratione, qua Graecis deis vel heroibus christiani substituebantur. Consecrabant enim, quoad fieri potuit templa eis, qui simillimi paganicorum erant; nemo autem S. Georgii similior Athenis erat, quam Theseus aut Hercules, ut Starkius l. c. docuit, uter sit praeferendus, hac sane ratione discerni nequit[4]).

Sed ut credatur templum nostrum Thesēum esse, demonstretur necesse est, illo tempore id esse aedificatum, quo Thesēum conditum esse narratur i. e. Cimonis aetate. Atque certissimis quidem argumentis hoc probatur. Ratio enim architecturae durior est, quam in Parthenone, deinde in lacunaribus pronai litterae sunt incisae, quarum forma tempus illud prae se fert, materies porro templi est marmor Pentelicum, sculpturae contra Parium, ex quo colligimus eo tempore, quo hoc templum exstruebatur, artificem nondum ausum esse durum marmor Pentelicum ad sculpturas adhibere; id quod postea in Parthenone factum est. Simile tempus compositio nostri zophori indicat; infra enim demonstrabitur, quam accurata sit observata symmetria; quae medium locum tenet inter Aegineticas et Par-

1) Ross, Hellenika p. 80.

2) Theseion p. 3.

3) Schoemann, Griech. Alterth. II, 2, p. 548.

4) Wachsmuthius (Arch. Ztg. 1863 p. 99) cum non celet, quam saepe illa regula sit laesa, ita ut, si sine restrictione ad templa nunc restantia adhibeatur, gravissimos errores procreatura sit, tamen denominationem aliis rationibus probatam, sic non nihil firmari confitetur.

thenonis sculpturas, quin singulae figurae aperta archaicae sculpturae vestigia retinuerunt[1]). Totus zophorus ita est ectypus, ut in metopis Doricis fieri solet. Paene sine exceptione binae figurae coniunctae sunt[2]), quod et ipsum indicat, quam propinque hae sculpturae ad Doricas metopas accedant, in quibus spatium prohibuit, quominus plures coniungerentur[3]). In centauromachia compositio paullo liberior est; etsi enim binae tantum figurae (una scaena ex tribus composita excepta) coniunctae sunt, tamen singulae figurae sunt interpositae, quae quidem nondum arte cum ceteris cohaerent, attamen transitum ad copiosiorem compositionem indicant[4]). Adde huc, quod in zophoro orientali singulae scaenae non raro nimis dure inter se sunt conexae; fig. 10a 9am effugiens paene tangit pedem hostis, 16a et 17a, quamquam adversarii sunt, brachia paene collidunt, nec tamen hoc animadvertunt. Vetustior haec est et, ut libere dicam, durior ratio compositionis, quae non tam id videt, ut singulae scaenae sana ratione inter se cohaereant, sed ut singulae figurae secundum legem symmetriae sibi respondeant. At Overbeckius ex libera motus ratione demonstrare studuit, sculpturas Thesēi post Parthenonis sculpturas esse confectas, de qua re ut iudicemus, ante omnia tenendum est, si in tempus templi constructionis inquiramus, solum zophorum orientalem in certamen esse vocandum, cum nil obstet quin alter hoc inferior quolibet tempore insertus sit; ne orientalis quidem aliud quid docet nisi post quod tempus templum exstructum esse non possit. Atque hic quidem zophorus multo minus solutum exhibet motum quam occidentalis neque vero vivacitas sola quicquam de tempore docet, cum inter archaicas sculpturas etiam figurae vivacissimi motus inveniantur, ut Harmodius et Aristogiton, a quibus nostras sculpturas eo tantum nomine differe puto, quod

1) Plicae vestis fig. 1ae (inde a laevo latere figuras numero) archaicam sculpturam sapiunt, aeque visus Centauri Caeneum obruentis, de quo tamen Overbeckius (Plastik I² p. 266) dubitat, de ceteris rebus modo tractatis cf. Ross, Theseion p. 55. Tuebinger Kunstblatt 1837 p 11, Adlerum, Arch. Ztg. 1873 p. 109.

2) praeter 17. 18. 19. et deos.

3) Friedrichsius, Bausteine p. 224.

4) Petersen, Kunst des Pheidias p. 224.

vinculum, quo liber motus ibi coerceri videbatur, hic plane demptum est. Sane concedo, motum per se non prohibere, ne nostras Parthenonis sculpturis posteriores censeamus, sed cum indiciis antiquitatis supra commemoratis coniunctus nullam vim habet. Optime huic sententiae favet, quod Petersenius[1]) in eis scaenis, quae in Thesēo et in Parthenone simili modo fictae sunt, discrimina ita explicavit, ut Thesēo prius tempus assignaret.

Quid zophoro occidentali et metopis exhibeatur, etsi singulae metopae tam deletae sunt, ut certo de eis iudicari non possit, constat, quae tamen, cum nostram quaestionem minime tangant, plane omittamus.

Excursus.

Explicatio contra zophori orientalis et gravissima est cum, ut par est, in fronte is cui templum dedicatum est, clarissime expressus esse debeat, et diversissimo modo a viris doctis tractata.

§ 1.

Antequam autem ad singula perpendenda aggrediamur, liceat pauca praefari de fide quae Parsii delineationibus habenda sit. Etsi pauca minus gravia omisit, quae adhuc exstant[3]) et nonnulla aperte falso pinxit (vestis fig. 21ae non ipsa humerum obtegit sed loro in eo tenetur, fig. 7a caput non sinistrorsum sed dextrorsum flexit, fig. 13ae non dextrum sed laevum femur et crus extant)[4]), eo tamen vitio prorsus liber est, quod jam

1) K. d. Pheidias p. 224 sq.

2) cf. de his. Stuart, Alterthümer von Athen. Deutsche Ausg. Darmstadt 1831. II. p. 342—362. Leake, Top. p. 365—375. Friederichs, Bausteine p. 134—140. Overbeck, Plastik I², p. 259 sqq. Petersen, Arch. Ztg. 1866 p. 257.

3) Reliquias non certae formae, quamvis non semper, plerumque tamen omisit, velut in medio dextro margine clypei fig. 20ae, rell. manus laevae fig. 10ae, manus sub genu 18ae dextri pedis 15ae, laevi pedis fig. 24ae. — Foramina in pectore fig. 6ae indicavit, contra cetera hujus aeque ac fig. 1ae (in dextro humero et in capite) duo 3ae infra in saxo, 4ae in laevo humero, 11ae in dextro pectore, tria 22ae infra in saxo, 27ae in chlamyde omisit.

4) ne dicam de clypeis, quos paene omnes rotundos delineavit, quamquam excepto clypeo 5ae, oblongi sunt.

Viscontius *,ein willkuerliches Ergaenzen von Détails'* appellavit. Ipsum enim illud exemplum, quod solum eius vitii affere possim (caput fig. 1ae cum galea supplendum propter reliquias ab eo nudum est delineatum) ratione, qua supplevit, quam cautus fuerit, docet; leviore enim linea, qua caput descripsit, se id intactum non vidisse indicat. Cum praeterea etiam in eis, quae solus habet, accurate, quid desit, indicarit (cf. dextrum brachium fig. 5ae et 7ae) non est, cur eis fidem non habeamus, quae quamquam nunc perierunt, in eius delineationibus extant: caput, dextrum crus et pes 1ae, caput 2ae, maxima pars capitis 3ae et 4ae, caput dextrum brachium, utrumque femur et crus, laevus pes 5ae, dextrum brachium 6ae et 7ae, caput, dextrum femur et crus 9ae, laevum brachium 13ae, laevum femur et crus 28ae.

Zophorus ternis figuris sedentibus manifesto est tripertitus neque vero temere, sed ita, ut illae super ipsas antes sint positae[1]). In media parte pugna est sculpta a tredecim hominibus commissa, quorum medius (15) juvenis procerus summo et ardore et decore laevum pedem proponit, dextrum autem retro porrigit, ut ex reliquiis colligere licet. Super laevum brachium, quod ad lapidem advolantem repellendum protendit[2]), χλαμύς est suspensa in obliquum volitans ita ut posteriorem corporis partem contegat; manu dextra nihil tenebat, quia haec lapidem coniecerat. Figura insequens (16) ab aspicienti est aversa; dextrum brachium in cubito flexum magnum tenet lapidem, quem modo est jactura, dum laevo alium a se retinet; hic lapis aperte a 15a in 16am est, coniectus et ab ea tam longe repulsatus, nam 16am eum non esse iaculatum, ratio tenendi docet; in hoc lapide manus est conservata, quae quomodo laevum brachium non exstans sit supplendum indicat. Ad lapidem melius coniciendum dextrum genu flexit, crus et pes dexter, femur, crus, pes sinister sunt depertita. A laeva parte miles

---

1) Similiter in tripertitione sculpturarum ratio habita est columnarum in Parthenone. cf. Michaelis, Parthenon p. 142 et 153.

2) Breviter sed unus recte de ratione, qua lapides singulis sint attribuendi, loquitur Petersen, K. d. Pheidias p. 213 cum metopa VI a orientali Parthenonis hanc nostram figuram comparans: *„Die Hand gegen ein Felsstueck stemmend, welches dann natuerlich vom Gegner her drohte."*

fig. 15ae auxilio venit, adversa facie laevo, brachio non bene conservato manuque carenti clypeum tenens. Dextrum brachium atque utrumque femur et crus deleta sunt, sinistri pedis parvum vestigium in solo, dexter paene totus est conservatus[1]).

Proxima figura (13) aspicienti dextrum latus praebet, laevum brachium in cubito flexum erat ut manus corpore contegeretur; manus dextrae pauca vestigia restant. Laevum femur et crus genu flexo retro porrectum est conservatum[2]), pes corpore iacentis obtegitur, dextrum contra femur crus pes sunt deleta. Heydemannus hunc ut fugientem scaenae sequenti (12 et 11) adnumerat; sed fugiens omnino hic non est aptus, cum 11a figura prorsus in 12a auferenda sit occupata neque 13am curet, nedum insequatur: nec tolleret fugiens manum dextram in pugnum compressam tam alte neque omni prudentia destitutus in ipsum hostem (14) irrueret. Immo 13a 14am necopinato invadit[3]) manuque dextra gladium aut hastam tenuit, quod si accipias, actionem habebis summi vigoris, quae efficiat, ut iam praesenti momento, quae futura sint, praesagiamus. Fieri enim non potest, quin fig. 14a, quae nunc Theseo defendendo est intenta, ad suam ipsius defensionem se convertat. Proxima scaena constat ex duabus figuris (11 et 12). 12a mortua super lapidem concidit, nam corpus caput et pedes superat, pedes arte compressi sunt, corpus dextro brachio nititur ita, ut aspicienti pectus offerat; laevum brachium non conservatum, ut ex reliquiis videmus, super caput dependebat. Altera figura (11)

---

1) Ulrichsius (Ann. d. Inst. XIII p. 82) hunc adversarium fig. 15ae esse putavit, qua re a Theseo hastam ad eum propulsandum tentam fuisse coniecit, sed eius positio talis est, ut eum non contra Theseum procedere, sed latus ejus tegere appareat.

2) miro errore Parsius dextrum femur delineasse videtur, quod solum non potuisse servari, iam ex eo patet, quod multo magis expositum erat, quam laevum.

3) Idem Friederichsius l. c. sensisse videtur pugnam dicens ex sex scaenis esse compositam, quarum una tres, reliquae binas figuras continerent. Illa quae tres continet, nulla alia nisi 17. 18. 19. esse potest. Friederichsius igitur eo solo a nobis differt, quod mediam scaenam 13. 14. 15. 16. in duas discindit, quod mihi propterea non videtur fieri posse, quod 14a clypeum dextrorsum (ab asp.) tenet et invasionem 13ae minime curat, sed totus auxilio 15ae deditus est.

et ipsa est nuda. Sinister pes genu flexo longe est propositus, toto corpore se ad iacentem deflectit, capitis pars posterior conservata id depressum fuisse indicat. Recti femoris inferior pars, crus, pes desunt, locum tamen pedis reliquiae indicant. Sinistro brachio manu carenti clypeum tenet. Dextrum brachium erat declinatum ad iacentem, sed superior tantum pars extat. In dextro pectore foramen est terebratum, quod nulli alii rei alligandae aptum est nisi balteo. Alterum foramen in inguine ad penem addendum erat terebratum. Sed quid sibi vult haec figura? Flexa esse potest aut ad hostem spoliandum auferendumve aut ad amicum protegendum portandumve ex pugna. Sed amicus 12a propterea esse non potest, quod nullus adest hostis, contra quem iacentem protegat, deinde quod, ut infra accuratius videbimus, in hoc zophoro paene semper paria hostium sunt composita. Denique mihi etiam positio pedum indicare videtur, hanc figuram, donec stabat, fig. 11ae oppositam fuisse, est igitur hostis, quem utrum 11a spoliet an auferat, ut canibus avibusque lacerandum proponat, ideo non est dubitandum, quod 12a omnino nuda nihil habet, quo a 11a spolietur. Sequuntur duo milites, quorum alter (10) ab aspicienti aversus exomide est vestitus dextrum humerum dextramque partem dorsi nudam relinquenti et usque ad genua pertinenti. Dexter pes genu leviter flexo dextrorsum est positus ita ut paene laevum pedem fig. 11ae stringat, sinister pes deest, sed haud dubie sinistrorsum erat positus, dextrum brachium sublatum aliquid tenebat, cuius paucae extant reliquiae, fortasse hastam, ceterum valde mutilatum est, manus sinistrae adhuc restant vestigia propter inferiorem partem corporis, quae indicant brachium deorsum protentum fuisse; cum in humero magnum inveniatur foramen, probabilissimum videtur hoc brachio clypeum tentum fuisse, quod si verum est, dubitari nequit, quin haec figura pugnaverit contra 9am, non contra 11am, nam clypeum semper in eam regionem tentum fuisse censendum est, unde periculum imminet. Sed etiam habitus dextri brachii fig. 10ae indicat eam non in 11am invadere, neque enim si hastam nec si gladium tenebat, tam prope corpus 11ae sublatum esse potuit. Dextrorsum denique esse conversam fig. 10am, quamvis sinistrorsum pugnet, non est mirum, si animo fingamus eam fugientem

se defendere[1]). Fig. 9a dextrorsum procurrit clypeo, quem laevum brachium protendit et galea cuius paucae exstant reliquiae, armata. Dextrum brachium deest, sed foramen cum clavo aheneo indicat id a tabula prominens clavo affixum fuisse; pes sinister genu flexo est propositus, dexter cuius reliquiae tantum in solo exstant, a Parsio haud dubie recte delineatus, retro erat porrectus. In dextro latere his quinque quas modo descripsi figuris respondent totidem, quarum tres in unam scaenam sunt coniunctae. Pugnatur de corpore mortui, qui in solo inter duos hostes iacet; alter (17) capite, brachiis, cruribus, dextro femore caret, pes dexter est conservatus, sinister, qui corpore iacentis obtegitur, nunquam erat sculptus. Reliquiae tamen demonstrant dextrum brachium fuisse sublatum et genu dextrum fuisse flexum, nam pes dexter est conservatus. Laevum femur longe porrectum totaque sinistra pars corporis depressa est. Super laevum humerum magnum aspicitur saxum, quod effecit, ut humerus paullulum sit depressus. Manus sinistra in lapide supra femur iacentis posita est conservata, unde eam deorsum cum lapide fuisse protentam colligimus. Ante eum sculptum est corpus mortui non a laeva ad dextram sed in transversum porrectus, ut audacissimis catagraphis fuerit opus in dextro crure, quod tabulam versus est directum. Laevum genu est flexum, ita ut pes rectus in solo stet, pectus totum se aspicienti offert; dextrum brachium paene totum deperditum sub dextro genu pauca vestigia reliquit, quae id propter corpus iacuisse declarant; laevum brachium leviter flexum in ventre est positum, caput magis, quam reliquum corpus demissum est (quia super saxum corruit).

In fig. 17am 19a invadit posteriorem corporis partem aspicienti praebens sed ita tamen ut ad impetum sinistrorsum sit flexa. Caput est deletum; utrumque brachium, laevum totum, dextrum usque ad cubitum deperdita sunt, sed manus in lapide fig. 17ae imposito conservata, quae haud dubie fig. 19ae est, quomodo laevum brachium fuerit tentum, docet. Post eius

1) Simillimum habitum exhibet figura pugnans in sarcophago Cortonensi Arch. Ztg. 1846 p. 81 sq. tab. XXX. (Silenus), in quo etiam alias similitudines deprehendas.

caput magnum saxum conspicitur, quod aliqua re nixum esse cum necesse sit, non potest non dextro brachio fuisse fultum; id igitur in cubito erat flexum. Inspiciamus nunc, quomodo hae tres figurae modo descriptae sint coniungendae. Mortuus utrarum partium fuerit socius, nulla alia re diiudicari potest nisi corporis directione, quae, quoniam indicat eum donec steterit, fig. 19ae fuisse oppositum, non dubito eum cum 17a figura ita conjungere ut haec eum defendat ne ab hostibus auferatur. Difficilior est quaestio, quomodo lapides, sint coniecti. Lapidem sub quo 17a corruit, a 19a missum esse apparet. Aeque lapis, quem post caput 19ae videmus, haud dubie ab eadem tenetur ad coniiciendum; nam si a 17a conjectus esset, non posset 19a tam intacta stare. Tertius denique lapis, in quo manus fig. 17ae conspicitur, huic est attribuendus. Forsitan quia manus eum non tenet sed palma tantum trudit, a 19a eum conjectum, a 17a autem repulsum esse putes, sed hoc propterea probari nequit, quod sic tres lapides paene uno momento a fig. 19a conjectos esse iudicandum esset, quod haud quaquam fieri potest, quare ita haec scaena est explicanda, ut fig. 17am cum iam in eo esset, ut lapidem suum emitteret cumque eum iam palma tantum truderet, lapide hostis in humero esse percussum ita ut brachium demitteret, dextrum autem brachium ad defensionem extulisse statuamus. Sequuntur duo milites (19 et 20) in eandem regionem procedentes, alter nudus clypeo oblongo armatus cuius longius latus non deorsum sed a sinistra ad dextram est conversum. Laevus pes genu flexo dextrorsum est propositus, dexter pes, crus, femur, totum dextrum brachium sunt deleta, laevo brachio ansam clypei tenet. 21a chitone est amicta dextrum humerum partemque corporis nudam relinquenti, laevum autem humerum non ipse chiton obtegit, sed loro utraque pars vestimenti coniungitur prorsus eadem ratione qua in fig. 26a. Reliquiae in tabula conservatae etiam hunc militem oblongo clypeo a sinistra ad dextram converso armatum fuisse indicant; laevus pes in solo extat dextrorsum positus, laevi tantum modo ut aspicienti eum fuisse adversum videamus; laevum brachium clypeum tenet, manus quia videri non potuit post 22am latens, nunquam erat sculpta, dextri brachii superior tantum pars extat, in medio autem

margine clypei fig. 20ae reliquiae sunt conservatae fortasse ad illud brachium pertinentes. Sed quid agunt hae duae figurae? Cum in scaena antecedenti pugna nondum sit diiudicata, ut fugientes haberi possint, neque ibi, quo procedunt, omnino pugnetur, ut ad impetum eos procedere censere liceat, nihil aliud est reliquum, nisi ut adversarios habeamus, quorum alter alterum insequitur [1].

Transeamus ad alteram scaenam in prima tabula sculptam. Prima figura sine ulla actione adstat laevo pede innixa, dexter pes paullo retro est positus, crus deest, aeque femoris inferior pars. Parsius totum haud dubie tum conservatum descripsit. Laevo brachio in cubito flexo clypeum tenet, dexter neque apud Parsium neque nunc extat; qua re quid tenuerit, aut quid fecerit certo indicari non potest, paene totum corpus chlamyde super dextrum humerum conexa obtegitur, quae in dextro latere ita est plicata, ut margo plicas triangulares efficiat, quae valde sculpturam archaicam sapiunt, dextri tantum lateris pars chlamyde vacat. Parsius caput sine tegumento delineavit, sed foramen ibi conservatum etiam hanc figuram galea tectam fuisse indicat. Vividior est actio alterae figurae quae cetera eundem habitum prae se fert, nam etiam haec laevum pedem proponit sed ita ut longius a dextro distet genuaque magis sint flexa, laevo brachio clypeum tenet, dextro nunc in superiore tantum parte conservato haud dubie gladium vel hastam vibrabat, id quod custodia captivi requirit; caput deest, sed galeatum hoc Parsium recte delineasse reliquiae supra in tabula extantes indicant; amicta est haec figura exomide retro fluitanti, quae in laevo tantum humero conexa dextram pectoris partem nudum relinquit. Fig. 3a est captivus nudus in genua sinistrorsum procumbens, utrumque crus dextrorsum est in solo protentum, manus post tergum a 4a revinciuntur, caput nunc deperditum, ut ex Parsio fortasse conicere licet, tegumento carens, quasi dolore motus reiecit. Certe caput nudum nudo toto corpore in captivo victo aptissimum est. Fig. 4a aspicienti laevum latus offert; 3ae, quam est liga-

---

1) Plerique socios habuerunt; Friedcrichsio etiam illius explicationis in mentem venit, sed usitatam praetulit, quamvis rationes non proponens.

tura, femori pedem dextrum imponit, laevi pedis nil nisi ima pars nunc extat, apud Parsium contra totus est delineatus, sine ulla dubitatione recte, brachio utroque in ligatione est occupata ita ut dextrum brachium genu innitatur. Cubitus uterque est deperditus sed manus laeva in laevo brachio captivi remansit. Vestita est chlamyde, quae tamen paene nullam partem corporis contegit, in tergo autem se ita expandit, ut durae plicae oriantur; galea nunc quidem non extat, sed excavationes tabulae supra caput cristam ibi insertam fuisse docent. In laevo humero propter chlamydem est foramen. Fig. 5a dextrorsum procedit, dextri femoris, quamvis non exstantis statum pes conservatus indicat, laevus cum solo deletus est, Parsius eum descripsit; caput iam apud hunc valde deletum est, nunc plane periit; laevo brachio manu carenti clypeum tenet rotundum, dextrum brachium apud Parsium protendit, nunc deest; sed in humero restat clavus aëneus, quo illud alligatum fuisse apparet. Repraesentata igitur est in hac tabula ligatio hominis haud dubie captivi a quarta figura confecta, reliquae figurae aut custodiendi aut spectandi causa adstant; nam etiam quintam victorum numero esse adnumerandam [1]) ex eo patet, quod fugiens tam prope hostes fallere non potuit, nec tamen quisquam eum curat.

Tab. VIae prima figura (25) adversa facie adstat, pedum nil nisi digiti remanserunt, crura femora perierunt, laevo brachio manu carenti clypeum oblongum tenet; dextrum demissum quidem sed paullulum protentum erat, superior tantum pars extat. Altera figura (26) et ipsa adversa facie adstat. Amicta est vestimento laevam tantum partem figurae obtegenti, astricto quidem super coxendicem zona, sed etiam super hanc protracto, ut quasi sinus efficiatur. Etiam hic vestimenti duae partes super laevum humerum loro sunt conexae. Laevum latus sub brachio nudum est, ut posterior pars non deleta indicat, vestimentum infra genua erat demissum; crura desunt.

Mediam partem huius tabulae tenet fig. 27a; corpus paene

1) Leakius, aeque hanc victori auxiliari contendit; contra Heydemannus: duo socii vestiti et armati alterum hostem perterritum (5) in fugam vertunt (quamvis figg. 3a et 4a ab eo separati!).

nudum est, nisi quod chlamys, quae in tergo defluit, in collo fibula (propter foramen, quod in chlamyde extat, supplenda) est commissa. Pedum nihil restat nisi plantae, ex quibus apparet, laevum fuisse paullulum flexum, dexter contra sinistrorsum erat protentus; brachia ambo desunt, sed reliquiae indicant ea demissa et fortasse in tergum revincta fuisse [1]). Sequuntur extremae figurae 28a et 29a. 28a paene nuda chlamyde tantum vestita est, laevum brachium paullulum protentum contegenti. Dextrum brachium cubito carens super medium pectus sinistrorsum erat conversum. Pedum nihil restat nisi posterior pars laevi cum planta et dextra planta, sed apparet laevum rectum stetisse, contra dextrum paullulum inflexum; femora et crura apud Parsium haud dubie recte delineata sunt. Inter fig. 28am et 29am supra in tabula remanserunt reliquiae hastae vel baculi; fig. 29a est curvata; pars laevi femoris et utrumque crus desunt, sed reliquiae indicant laevum femur protentum genu flexum fuisse, pes in obliquo lapide deorsum est positus, dexter pes retro et ipse est flexus, corpus chitone zonato est tectum, brachia quidem desunt sed reliquiae indicant, ea fuisse demissa [2]), quod iam ex eo patet quod supra nihil loci remanet. In capite vestigia galeae discerni possunt.

Sed quae actio in hoc tabula sit repraesentata, difficile est dictu. Captivum quidem (27) a victore teneri certum mihi videtur, cum Ulrichsii opinio [3]), ‚*dasz die beiden mittleren* (26 et 27) *durch ihre Haltung den Reigentanz zur Feier des Siegs hinlaenglich bezeichnen*‘, paene a nemine sit comprobata; nec magis dubium est, quin etiam 25a figura custodiendo captivo operam det plane eodem modo, quo fig. 5a in prima tabula.

De 28 autem et 29a figura diversissimae sunt prolatae sententiae. Stuartus [4]) erectionem tropaei cognoscere sibi videbatur, quod Ulrichsius propterea falsum putavit, quod spolia deessent, quibus tropaeum ornari soleret. Leakius [5]) hanc figuram *κνημίδα* induere coniecit, quod cum pugna finita minime

1) Hermann, Goett. Gel. Anz. 1843 p. 491.
2) utrumque ante corpus!
3) Reisen und Forschungen II, p. 146.
4) Alterthümer v. Athen II, p. 330.
5) Topogr. p. 374.

aptum sit ne que in aliis figuris κνημῖδες conspiciantur, aeque est improbandum. Ulrichsius substituit aliam explicationem, sepulcrum effodi ratus, quod plane ab habitu fig. 29ae abhorret; si quis enim fodit, necessario alteram manum reducit, non utramque, quod hic fit protendit[1]). Hinc apparet etiam Lollingi sententiam esse improbandam qui fig. 29am, ὁδοποιόν esse statuit una cum ceteris victoriam celebrantem. Etsi enim aliam fodendi rationem protulit, tamen in fodiendo ipso cum Ulrichsio concinit aeque atque in explicatione figg. 26ae et 27ae. Heydemannus etsi hanc explicationem non omnino improbavit, tamen dubitanter etiam aliam proposuit, quae si fig. 29ae tantum rationem habemus, magna est probabilitate; statuit enim fig. 29am vulneratum pedem tollere, quod cum gestu manuum optime concinit; altera manus tum fasciam teneret vel astringeret, altera vulneri imprimeret, sed obstat, quod ut supra diximus, in sculpturis originalibus supra in tabula reliquiae extant, quae a fig. 29a hastam vel baculum tentum fuisse evincunt, unde efficitur ut Stuartii explicatio sit repetenda; neque enim ullo alio modo hasta aut baculum sic teneri potuit; fig. 29a igitur hastam modo in terra est fixura, lapidi, cui laevo pede insistit, et certius stet, acclinatam, fig. 28a autem aut ipsa hastam tenuit aut in ea adornanda fuit occupata, quod propter mutilationem certo diiudicari nequit. Arma certe ne tum quidem si omnia servata essent, requireremus hoc tempore quo hasta cui postea affigentur, vix vel nondum in terra statuta est.

Postquam tota hac descriptione actionem uniuscuiusque figurae, quoad fieri potuit, indicare conatus sum, ex ea colligere studebo, utris partibus singulae sint adnumerandae; nam ex vestimento nihil concludi potest, quia et in figuris ad eandem factionem apertissime pertinentibus maximae vestis diversitates exstant[2]) et in adversariis eadem vestimenta inveniantur[3]).

---

1) Overbeck, Plastik I, p. 237 nihil pro certo statuit, nisi etiam hic hostem capi, quamvis minus violenter quam in sinistro latere.

2) fig. 1a chlamyde, fig. 2a exomide induta, fig. 4a chlamydata, fig. 5a nuda, quamquam sine ulla dubitatione omnes partibus victoriosis adnumerandae, fig. 25a nuda — fig. 26a exomide vestita; fig. 28a chlamyde — fig. 29a chitone vestita.

3) Fig. 17 et 19 invadunt altera in alteram tamen utraque nuda est, utra-

Utrarumque partium vestes proxime accedunt ad eas, quibus induti Athenienses in zophoro Parthenonis aspiciuntur; chlamys, quam in Theseo habent figg. 1, 4, 15, 27, 28 exstant in Parthenonis zophori orientalis figg. 4, 9, 22; merid. fig. 8. ac ne longitudinem chlamydis fig. 27ae mireris, conferas Parthenonis zoph. or. 6am chlamyde usque ad talos pertinenti amictam. Tunicae fig. 29ae Parth. zoph. occid. 10; tunicis in formam *ἐξωμίδος* redactis figg. 2ae et 11ae (*χιτὼν ἑτερομάσχαλος* Michaelis, Parthenon p. 231) Parth. zoph. occid. 8, 15 mer. 44 respondent; *ἱμάτιον* denique fig. 15ae ubivis in zophoro Parthenonis invenitur. Arma nunc tam mutilata sunt, ut paene nihil certi de eorum forma proferi possit; sed reliquiae galeae fig. 29ae praecipue si Parsii delineationi fidem habeas prope accedunt ad formam galearum Parthenonis zoph. mer. figg. 38—43. Corinthiacae galeae Parsianae delineationis figg. 2, 4, 9 respondent galeae fig. 74ae zoph. mer. Parth.; hoc igitur tantum interest, quod Corinthiacae in Theseo sunt crebriores, contra Atticae in Parthenone. Clypei apud Parsium paene omnes sunt rotundi (exceptis fortasse 2 et 14) revera autem omnes praeter 5um oblongi sunt, cuius formae exempla in Parthenone sunt zoph. mer. 62 et 65. His tot similitudinibus nulla obstat dissimilitudo, nisi 1) quod chitones figg. 21 et 26ae supra laevum humerum loris sunt conexi 2) quod fig. 21ae *ἐξωμίς* zona non est astricta, cuius rei neque in Parthenone ullum exemplum invenitur neque alicubi si audias Beckerum [1]). Sed ex verbis Etymologi Magni quae ipse laudat et quasi falsa refutat [2]), se-

---

que lapidibus pugnat, quare falsum est, quod Overbeckius Past. I, p. 236 (cfr. Mueller in Gerhardi Hyperbor. Röm. Stud. p. 295) autumat, *‚dasz das charakteristische auf diesem Friese der Gegensatz der bewaffneten und nackten Steinschleuderer sei.'*


1) Charicles p. 164. Ohne Guertel wird die chlamys schwerlich je getragen worden sein.

2) *ἐξωμὶς χιτὼν ὁμοῦ καὶ ἱμάτιον. τὴν ἑκατέρου γὰρ χρείαν παρείχετο, χιτῶνος μὲν, ὅτι ἐζώννυτο, ἱματίου δε, ὅτι ἀνεβάλλετο, τάχα δὲ ὅτι ἀχειρίδωτον ὂν καὶ πρὸς τοῖς ὤμοις ἀνοίγματα ἔχον, ἀφ' ὧν αἱ χεῖρες ἐξεχαλῶντο, ὁπότε καὶ ἐζώννυτο, κατὰ τοῦτο ἐξωμὶς ἐκαλεῖτο, ἀνεβάλλετο δε θατέρας χειρὸς ὑποστελλομένης καὶ κάτωθεν πρὸς τοὺς πόδας ὥας τῷ ὤμῳ ἐπαναπθείσης αὐτὸ μηδὲν ζώνης δεόμενον.* quod, ne longus sim, sic interpretor, utriusque enim usum praebebat, chitonis si succingebatur, *ἱματίου* si iniciebatur, fortasse

quitur exomida et cum zona et sine zona apud Graecos fuisse usitatam. — Cum igitur Athenienses soli paene eadem arma et vestimenta habeant (nam differentiae modo tactae minimae sunt), quae in Theseo duo hostiles acies, fieri non potest ut arma et vestimenta respicientes singulos alteris utris partibus adnumeremus: Sed aliud subest adminiculum, analogiam dico, quae inter nonnullas figuras exstans cuilibet quamvis obiter spectanti se offert. Si initium facimus ab utroque latere, statim similitudo quinarum figurarum apparet, quarum media a proxima (4 et 26) tenetur, dum tertia (5 et 25) sine actione adstat; minus accurate 1a et 2a figg. 28ae et 29ae respondent, quia illae nihil agunt, dum hae in actione aliqua sunt occupatae.

Terni dei apertissime opponuntur ternis alterius lateris, par pugnantium (9 et 10) respondet figg. 20ae et 21ae; figg. 11, 12, 13, quarum media est mortua, tribus 17, 18, 19, quarum media et ipsa est mortua. Sequitur denique media scena trium figurarum, quarum medium locum tenet 15a, forma etiam caeteris praestans.

Ut appareat, quam accurate singulae figurae sibi respondeant (quod minime idem est atque: in singulas scaenas sint distributae) lineis hoc adumbravi:



Sed non solum totus zophorus in duas aequales partes symmetrica ratione est bipertitus sed etiam in utraque certis intervallis similia figurarum σχήματα occurunt; in laeva 9, 11, 14 singulis figuris interiectis (nam in hoc genere mortui ratio non est habenda) σχῆμα hominis dextrorsum ruentis exhibent;

autem, quod sine manicis et in humeris aperta erat, unde manus se extricabantur, cum etiam succingebatur (i. e. non solum iniciebatur) propterea ἐξωμίς appellabatur; iniciebatur autem una manu subdita et deorsum usque ad pedes instita humero eam ingerente zonae non indigentem (i. e. et instita in humero eam ita continente, ut deorsum usque ad pedes fluitaret nullius zonae indigens).

in dextra 15a 17ae, 16a 19ae (15⌒17 16⌒19) respondet (mortuo aeque neglecto). Hoc semper respicientibus nobis facilius continget singulas figuras alteri utri factioni assignare. Fig. 17am ab eadem parte stare oportet, qua 15am, quacum tam accurate congruit, 19a igitur hostibus est adnumeranda, 18a, quod apertum est, eam, dum steterit, dextrorsum fuisse conversam cum partibus 17ae (i. e. victoribus) coniungenda; 14a 15am (principem victorum) adiuvat, contra a 13a oppugnatur, partibus 14ae etiam 11a, quae ei prorsus respondet, adiungenda, 12 igitur hostibus, 9a secundum analogiam victoribus, 10 hostibus; cum igitur ubique is sit ordo, ut hostem hostis excipiat solis exceptis mortuis, qui iam depresso situ extra ordinem sunt positi et eis figuris, quae utramque totius zophori partem coniungunt (14 15) non dubito, quin etiam 20a victoribus, 21a victis sit adnumeranda, ut norma illa etiam hic servetur; in extremis tabulis apertissime unus victus inter quaternos victores est sculptus. Sunt igitur

1, 2, 4, 5, 9, 11, 14, 15, 17, 18, 20, 25, 27, 28, 29 victores
3, 10, 12, 13, 16, 19, 21, 26 victi.

Media scena in utroque latere ternis figuris sedentibus cingitur, quas, ut deos habeamus, cogit fig. 6a, cuius galea apud Parsium delineata et aegis propter foramina in pectore supplenda Minervam certissime indicant[1]). Amicta est ἱματίῳ pergravi, quod inferiorem partem corporis ita obtegit, ut nullum tunicae vestigium sub eo appareat; superiorem partem velat ἐπίβλημα supra humeros conexum, quod brachia et dextrum latus nudum relinquit; utrum dextra quae omnino cum tabula non cohaerebat, hastam tenuerit, cum iam non sit superstes, dubitari potest, nam duo foramina in saxo, in quo sedet, incisa, alterum infra, alterum supra non minus clypeo ad saxum acclinato apta essent, sed Parsiana delineatio magis priori coniecturae favet; laevum brachium laevo femore nitebatur.

Fig. 7a, cum dextrorsum sit conversa (sic!)[2]) tamen aspicienti totum pectus offert, quod praecipue ut matronalem

1) Friederichs, Bausteine pag. 137.

2) apud Parsium caput sinistrorsum se convertit, quod falsum esse reliquiae etiam nunc extantes docent.

speciem praebeat, efficit; vestita est chitone non nimis tenero, ἐπιβλήματι paullo tenuiore, ἱματίῳ, quod inferiorem partem corporis obtegit, deinde ad caput ascendit et quasi κρήδεμνον posteriorem capitis partem velat, post super laevum brachium in cubito flexum defluit, ita, ut etiam manus sub eo lateat; praeter vestimentum in capite reliquiae στεφάνης manifesto apparent, in media parte altioris quam in lateribus; quid dextrum brachium fecerit, cum inferior pars sit deleta, dici nequit, hoc tantum certum est, id non fuisse sublatum, si modo cum tabula cohaerebat, cum supra in tabula plane nulla eius vestigia aspiciantur, contra praeter partem brachii restantem in tabula sit depressio, fortasse igitur Minervam versus erat protentum aut prorsus a tabula solutum.

Fig. 8a et ipsa in lapide sedet, dextrorsum conversa, laevus pes est propositus, dexter nunc paene deletus, Parsius recte paullo retractum eum delineavit. Obtecta est ἱματίῳ, quod primo inferiorem partem corporis velat, in laevo latere cervicibus tenus ascendit, deinde in laevum brachium, cuius cubitus est sublatus, defluit. Sinistra manu sceptrum tenuit, cuius adhuc in tabula reliquiae remanserunt [1]), pedes soleis sunt tecti, dextrum brachium nunc deletum, olim demissum fuit in dextrum femur.

In dextro latere fig. 24a sedet sinistrorsum spectans; pes dexter rectus stat, laevus retro est tractus, vestis inferiorem partem corporis obtegit et super pedem demissa est; laevi pedis paucae reliquiae remanserunt, in dextro soleae aspiciuntur, dextrum brachium primo est demissum, in cubito flexum, deinde paullo sublatum unde apparet, aliquid eo tantum fuisse, laevi nil nisi suprema pars restat, quae tamen indicat id demissum fuisse.

Fig. 23a sinistrorsum conversa χιτῶνι ποδήρει tenui est vestita et ἱματίῳ, quod totum corpus praeter pectus velat, caput eo vacat; manus utraque et cubitus dexter desunt sed in Parsiana delineatione dextra manus extat, laevus cubitus nudus ex parte deletus dextro impositus fuisse videtur. Pedes soleis sunt tecti.

---

1) quare falsum est, quod Ulrichsius l. c. p. 82 dicit: il braccio sinistro munito del manto a guisa d'arma di difesa, secondo che fece Teseo sul medesimo fregio.

Fig. 22a 24ae est simillima, paullo tamen superior pars corporis magis est declinata, quod graviorem figurae dat dignitatem, brachiorum superiores tantum partes restant, quae indicant, utrumque fuisse demissum, pes dexter in magno stat lapide, laevus retractus est, infra in lapide, in quo pes dexter stat, tria sunt foramina.

Ad iudicandum, quo nomine dei sint appellandi, multum refert, utrum putemus deos a sinistra sedentes deis a dextra spectantibus esse oppositos necne. Ulrichsius illud eo demonstrare studuit, quod 7a manum suam 4am (Jolaum) adhortans tollat, contra 23a manibus altera super alteram positis dolorem indicet, illam igitur victoribus hanc victis favere. In 23a etiam Friederichsius[1]) dolorem expressum esse putavit, quod manus dextra languide demissa, sinistra autem sublata dolorem cum stupore significet. Sed iam supra dixi, 7am non sinistrorsum sed dextrorsum spectare, quamquam per se apparet, scaenas in prima et sexta tabula repraesentatas minime cum media pugna cohaerere, ex quo efficitur, 7am etsi sinistrorsum spectavisset, non illam scaenam sed Minervam aspexisse. Habitus denique fig. 23ae aeque ad negligentiam atque ad dolorem referri potest, certe modo haud dispari Cereris in zophoro Parthenonis dorsum curvum apparet, in qua de dolore minime cogitari potest. Haec sunt, quae in universum respondeam, sed multo plura obstant, si in singulis explicationibus deos hostiles appellare conamur. In gigantomachia nullus deus gigantibus favit, nullus in pugna cum Pallantidis commissa, sive proprie gigantomachia fuit sive non; in victoria denique ab Eurystheo reportata, Iuno haud dubie a partibus victorum stare debuit, ut ipse Ulrichsius intellexit, sed ex descriptione elucet, hoc fieri non posse, quia 7a apertissime speciem Iunonis prae se fert. Ex sola denique separatione, quam necessitas requirebat, non posse oppositionem concludi, facile cognoscimus si proximam Parthenonis analogiam inspicimus, in quo etsi dei separati sunt, scaena quam aspiciunt, tamen ea tantum ratione id factum esse apparet, quod ea, quae inter eos aguntur, ut gravissima erant significanda, Sed iam ratio pugnae indicat, deos non fuisse

1) Bausteine pag. 137.

oppositos, neque enim pugnantes ita manus conserunt, ut altera pars ex altero latere stet, sed paene semper hostem hostis excipit; praeterea in utroque latere post deos victores stant, id quod fieri non potuit, si altera pars solis victoribus erat tributa, quare dubitare non possumus, quin omnes dei victoribus tantum faverint, quod etiam Overbeckius praetulit, quamquam pro certo non est ausus affirmare[1]). Pergamus nunc ad explicationes adhuc prolatas; quae quidem praeter Ulrichsium omnes consentiunt[2]), deos in laevo latere esse Iovem, Iunonem, Minervam quod si accuratius demonstrare vellem, tempus tererem; contra plane incerta est appellatio trium deorum in dextro latere. Ulrichsius[3]) nominat Neptunum, Iunonem, Martem, Muellerus[4]) et Heydemannus[5]) Neptunum, Cererem, Vulcanum, Pervanoglus[6]) Vulcanum, Venerem, Apollinem. Haec postrema appellatio iam rationibus, quibus firmatur, suspiciosa fit; quia enim Pervanoglus templum Vulcano ascribit deo adventicio, etiam hic in zophoro alios deos adventicios sculptos esse contendit (*die ebenfalls eingewanderte himmlische Aphrodite und der kleinasiatische Apoll*); si igitur demonstrabitur hoc templum Hephaesteum esse non posse, illa denominatio omni fundamento caret. Sed ne is quidem, qui cum Pervanoglo templum Vulcano attribuit, deorum appellationem illam comprobare est ausus, Lollingus enim Muelleri nomina repetivit, multo tamen minore probabilitate, cum si de rebus ad Eleusina pertinentibus ageretur, Ceres, ut ibi semper, cum filia coniuncta esset. Videamus nunc, num ceterum verisimilia sint; ultra enim probabilitatem progredi non licet.

Fig. 22am paene una voce Neptunum nominari apparet; neque vero ullus alius deus huic loco aptior est; cum enim toto zophoro accuratissima sit observata analogia, non est parvi

1) Plastik I, pag. 236.

2) nam 7ae appellatio a Pervanoglo proposita (Tellus) non digna est, quae commemoretur.

3) l. c. pag. 82.

4) Hyperbor. Roem. Studien I, pag. 295, cf. D. d. a. K. XXI, 109.

5) Analecta Thesea pag. 17.

6) Philol. XXVII, pag. 672.

momenti, quod haec figura Iovi in altero latere respondet; nam Iovis simillimus et forma et dignitate est Neptunus (cfr. Hom. O. 186 *ὁμότιμος*, 209 *ἰσόμορος*). Certe si utique ad Theseum hic zophorus est referendus, Neptunus quippe qui illius pater esset eumque omni modo adiuvisset deesse non debuit: fig. 22am autem 24a iustius hoc nomen sibi arrogare insignis locus Iovi respondens secundum ea, quae modo dixi, docet.

Fig. 23am non posse Iunonem esse ex eo patet, quod 17a sine ulla dubitatione hoc nomine est appellanda. Priusquam autem certius aliquid de 23a et 24a proferam, statuendum est, quoniam in altero latere tres dei tam arte coniuncti sint (Iupiter cum uxore et amatissima filia) etiam in hac scaena coniunctionem esse oportere. Hoc eo magis est urgendum, quod formis tam mutilatis singularibusque signis deficientibus haec sola res est, quae nobis veram denominationem indicare potest, ne vestis quidem feminae quidquam habet, quod non pari modo Proserpinae, Dianae (antiquiori) Cereri aptum sit. Hac lege observata ne Muelleri quidem denominatio fig. 24ae recta esse potest, nam Vulcanus paene nullam habet coniunctionem cum Neptuno aut Cerere. Cum Neptuno autem dearum maiorum nulla saepius coniungitur quam Ceres. Ut a parvo documento ordiar: Pausanias [1]) statim post lucum Cereris prope Mantineam templum Neptuni *ἱππίου* commemorat, quod idem fit Troezene [2]), hanc autem coniunctionem in enumeratione non esse fortuitam eo docemur, quod Althepus, Neptuni filius [3]) conditor templi Cereris *Θεςμοφόρου* dicitur, plane eodem modo, quo Eumolpus filius Neptuni princeps generis Eumolpidarum, Cereris sacerdotum, erat [4]). Nec levis est momenti, quod *ἵππιος* appellatur, hoc enim cognomen Pausanias [5]) inde deducit, quod in equi forma cum Cerere coiit Thelpusae, quod sane luculentissimum est illorum deorum coniunctionis documentum. Paene eandem fabulam Phigaleenses narrabant [6]). Eodem modo in monumentis

1) Paus. VIII, 10, 2.
2) Paus. II, 32, 7.
3) Paus. II, 30, 6.
4) Apollod. III, 15, 4.
5) Paus. VIII, 25, 5.
6) VIII, 42, 2.

artis saepe duo illi dei coniuncti inveniuntur, exempli causa laudo aram villae Albanae[1]), aram Borghesicanam[2]). Sed optime Welckerus[3]) monuit, *„dasz die Vereine von Goettern auszer den allgemeinen poetischen durchgängig nach den Orten verschieden sind."* Restat igitur, ut demonstremus, etiam in Attica illos coniunctos fuisse, ac revera hoc ita esse, discimus ex Pausania[4]), qui de cultu pagi *Λακιαδῶν* verba faciens haec habet: *ἔστι δὲ καὶ Ζεφύρου τε βωμὸς καὶ Δήμητρος ἱερὸν καὶ τῆς παιδός· σὺν δὲ σφισιν Ἀθηνᾶ καὶ Ποσειδῶν ἔχουσι τιμάς.* Gravissimum est, quod hanc cuniunctionem in domicilio Phytalidarum invenimus, qui artissimo vinculo cum Theseo cohaerent, quippe qui eum in itinere Athenas facto sanguine lustraverint. In iure iurando denique heliastarum secundum formulam apud Demosthenem servatam[5]) Iupiter, Neptunus Ceres invocabantur, quae etsi posterioribus demum temporibus inserta tamen a grammaticis composita est rerum Atheniensium peritis neque refellitur alia relatione, quae est apud Pollucem[6]) et Aeschinis scholiastam[7]) Iam supra dictum est, cur habitus et forma minoris momenti sint ad has figuras donominandas attamen non videtur mihi praetermittendum, habitum 23ae, quae plus proprii habet quam ceterae omnes, proxime accedere ad Cererem zophori Parthenonis, eandem enim negligentiam, quae in nostra figura iam saepe est animadversa, etsi nonnumquam aliter explicata, dorso leviter incurvato et manu altera super alteram posita; etiam in Parthenonis illa figura expressam invenimus.

Quis autem deus tertius eum Cerere et Neptuno coniunctus esse videtur? Nihil probabilius mihi videtur, ne multa, quam Bacchum eum fuisse. Nemo tam saepe cum Cerere coniungitur quam Bacchus praecipue in initiis Eleusiniis, sed ne quis in eo haereat, quod in illis Proserpina semper est addita, recorderis

1) Zoëga, bassirell. 1. 2. Welcker A. D. II, tab. 1 pag. 14—16.
2) Mueller-Wiesseler I, XII, 43.
3) A. D. II, 28.
4) I, 37, 1.
5) in Timocr. pag. 747.
6) VIII, 122.
7) in Timarch. 144 pag. 22 ed Tur.

Pindarum[1]) Bacchum *Δαμάτερος πάρεδρον* appellare nulla Proserpinae mentione facta; aeque in zophoro Parthenonis Bacchus praeter Cererem sedet sine Proserpina[2]). Tres autem nostros deos praeter Iovem coniunctos videmus apud Plutarchum[3]): *'Ομβρίῳ δὲ Διὶ καὶ προηροσίᾳ Δήμητρι καὶ φυταλμίῳ Ποσειδῶνι ποῦ βωμὸς ἔσται, ποῦ δὲ θυσία; πῶς δὲ χαριδότης ὁ Διόνυσος εἰ δεησόμεθα μηδενὸς ὧν δίδωσι.* Propterea igitur coniuncti sunt, quod omnes fertilitati favent[4]). Forma autem multo minus hic Baccho repugnat quam in tympani Parth. or. figura (Michaelis, tab. VI, Ostg. D) quam Michaelis et Petérsenius optime videntur demonstrasse Bacchum habendam esse. Si autem cum eisdem illis viris in zoph. Parth. or. nr. 25 (tab. 25) Bacchum esse sculptum concedimus, proximam nostri analogiam habemus, formam mediam inter robustam et teneram, vestem inferiorem tantum partem corporis obtegentem, coniunctionem denique cum Cerere. Habitum haud dissimilem deprendimus in nummis Atheniensibus[5]).

§ 2.

Totam rem in hoc zophoro repraesentatam primi qui de eo retulerunt (Babinius, Guilletus, Sponius, Whelerus) picturas Pausaniae cum nostris anaglyphis confundentes amazonomachiam esse statuerunt[6]), id quod refutavit Dodwellus[7]). Vernonus[8]) in litteris apud Stuartum in lucem editis zophorum orientalem ea quae in occidentali repraesentata essent, repetere atque continuare putavit. Stuartus[9]) autem umbram Theseï Atheniensibus in pugna Marathonia succurrentem hic sculptum esse censuit, quod a Muellero[10]) luculentissime est refutatum.

1) Isthm. VI (VII) 4 sq.

2) Michaelis, Parth. tab. 25 nr. 24. 25.

3) Sept. sap. conv. p. 158.

4) cf. Welcker, Gr. Goetterl. II p. 542, „*Demeter und Dionysos waren durch ihre Gaben einander nah.*“

5) Beulé, Les monnaies d'Athènes p. 262. Overbeck, Gr. Pl. I², p. 242.

6) Ross, Hellenica p. 80 A. 11.

7) Dodwell, Classical tour through Greece I p. 362.

8) Stuart II p. 348.

9) II p. 330.

10) Hyperb. Roem. Stud. I p. 279.

§ 3.

Stuarti editores[1]) et Leakius[2]) primi explicationem paullo verisimiliorem proposuerunt, gigantomachiam enim propterea statuerunt, quod alteri lapidibus pro armis uterentur et ferociores maioresque quam adversarii essent[3]). Illud non esse verum supra demonstratum est, sed ne hoc quidem probari potest, in universum enim victi earundem proportionum sunt, quarum victores et si 12, 18, 19 maiores et robustiores sunt, quam ceteri victarum partium eodem modo quo 15 et 17 maiores quam ceteri victores, intellegimus hanc non esse differentiam partium, sed duces sic a militibus distingui. Attamen concedendum est, nil obstare, quin victi, si formam solam spectamus, gigantes sint. Forma gigantum quomodo diversis temporibus mutata sit, optime ex vasorum fictilium picturis, ectypis scriptorumque testimoniis cognoscimus; hoc autem certissime constat quinto saeculo aliam gigantum formam atque humanam plane inauditam fuisse[4]). Ne terribilior quidem eorum facies et armatura in vasis quae atris figuris ornata sunt, apparet; nam si in amphora Mus. Brit. nr. 357 gigantem, qui lapidem comprehendit, invenimus[5]), condicio eius (sub equo concidit) indicat necessitate coactum eum hoc fecisse nec lapides solitam eius armaturam esse. Plane eodem modo res se habet in ectypis ad hoc tempus redeuntibus[6]), nihil ab heroibus diversi habent, nisi quod Gigas apud Benndorfium in tab. Xa. depictus largissimam habet comam aliusque in tab. VIa. pelle est amictus[7]). Mutatio habitus et formae in vasis, quae rubris figuris

1) II p. 357.

2) Topogr. p. 368.

3) Etiam Friederichsius p. 137. Muellerus l. c. p. 278 hoc deprendere sibi visi sunt.

4) cf. Overbeck, Zeus p. 374 sqq. Wieseler in Ersch. u. Gruber's Enc. s. v. Giganten. Jahn, Ann. d. Inst. 1869 p. 190. Stark, die Gigantomachie auf antiken Reliefs und der Tempel des Jupiter tonans in Rom.

5) Overbeck, Zeus p. 355.

6) Benndorf, Metopen von Selinunt tab. V, VI, X.

7) Sed prior quidem fortasse ad aliud tempus referendus est (Parthenonis sculpturis inferius. cf. Cavallari, Bullettino della Commissione di antichità e belle arti in Sicilia 1873 p. 16.

ornata sunt, animadvertitur, in quibus et forma et armatura multo ferociorem speciem praebent fere eodem tempore, quo apud scriptores (cf. Arist. av. v. 1249 sq. Plato Soph. p. 246 A.) similis descriptionis mutatio invenitur. Sed ad hoc tempus zophorum nostrum non posse referri supra demonstratum est; quare ne forma' quidem, si in altera tantum pugnantium parte terribilior esset, quamvis non excluderet, tamen non nimis confirmaret illam explicationem. Heroes autem saxis pro armis uti tam notum est, ut obiter tantum commemorandum sit[1]).

Sed quattuor gravissimae rationes zophorum nostrum gigantomachiam repraesentare non patiuntur.

1. Ac primum quidem, si constat 10am et 20am victis esse adnumerandas, monendum est, *ἐξωμίδα* in gigantibus nondum esse inventam neque omnino, cum vestimentum humiliorum hominum proprium sit[2]), in gigantibus aptum esse.

2. Cum repraesentatio deorum quiescentium una cum victis gigantibus rarissima est[3]), tum dei pugnam nondum finitam aspicientes plane sine exemplo sunt. Hoc ipsum gigantomachiae proprium est, ut heros (Hercules vel Bacchus) in summo discrimine deis, qui soli gigantes domare non possunt, auxilio veniat vel solus vel una cum Jove, qui et ipse usque ad illud tempus eventum pugnae expectavit.

3. In gigantomachia comites Herculis explicari non possunt, nam hos deos esse, ut Leakius[4]) Apollinem, Bacchum, Martem, Mercurium nominans contendit, cui Heydemannus quamvis de denominatione desperans suffragatur, eo refellitur, quod partim veste sunt amicti, quae magis Athenas quam Olympum redolet et quod si fig. 15 a Hercules esset, ab eo magnitudine et decore

---

1) cf. Hom. Il. *Ε*, 302; *Η* 268, *Λ* 265, *Ξ* 400; *Π* 578, 587; *Υ* 285; Eur Phoen. 663 (667) atque adeo de pugna Salaminia apud Aesch. Pers. 460. cf. de Spartanis Bergk poett. Cyrr. II[3] Tyrtaei fragm. 11 v. 35 sqq. Millin, mon. inéd. II, 26 p. 199, Millingen Anc. uned. mon. I, 27. Arch. Ztg. 1865 tab. CXCVII (Plut. Per. 31). ect. Si autem Heydemannus l. c. p. 19 iam apud Hesiodum gigantes saxis pro armis uti putat, *ἑκατόγχειρας* pro gigantibus habuit, de his enim verba fiunt apud Hes. Theog. 674.

2) Becker, Charikles III p. 163.

3) Wieseler l. c. p. 157.

4) Topogr. p. 372.

longe superarentur. Fig. autem 4am Herculem esse, quod Leakius contendit, neque forma patitur neque quisquam adhuc concessit.

4. Sed ne 15a quidem figura Hercules esse potest. Hercules enim robusto et laboribus exercito corpore tam insignitus est, ut etiam usitatis armis (clava, arcu, leonina pelle) deficientibus haud facile cum alio heroe confundi possit. Quis igitur credat, in metopis eum solitam formam retinuisse, in zophoro autem gracilem, iuvenilem, cultam induisse pellemque chlamyde commutasse.

5. Si gigantomachiam statuimus, scenae dextra et sinistra explicari non possunt. Neque enim gigantes a deis vinciuntur, immo statim obtruncantur, neque erectioni tropaei aut sepulturae in gigantum bello ullus est locus.

Omnes hae rationes exepta quarta valent etiam contra Heydemanni opinionem in dissertatione p. 20 propositam, qua Thesĕum in gigantomachia repraesentatum esse contendit; ea autem difficultas accedit, quod nusquam huius Thesĕi facti mentio fit, quamquam ut Heydemannus ipse disseruit, studium Thesĕi praedicandi in Atheniensibus summum erat. Sine ulla dubitatione gigantomachia, nobilissimum facinus, si omnino Thesĕo ascriptum esset, non potuisset non uno alterove ex plurimis illis locis praecipue oratorum servari, qui laudem Thesĕi copiosissime efferunt.

§ 4.

Ex his erroribus primus Muellerus[1]) se extricavit. Ante omnia enim statuit mediam figuram Thesĕum esse. Ac revera si eam nulla templi ceterarumque sculpturarum ratione habita inspicimus, propter gracilem et nobilem habitum nullum aliud nomen aptius videri potest[2]). Si autem eam in media fronte illius templi animadvertimus, cuius ceterae sculpturae omnes ad Thesĕum sunt referendae, certum illud fit, nisi rationibus aliunde petitis occaecati sumus. Quamquam igitur iusto iure Muellerus omnes explicationes respuere potuisset, quae mediae

1) Hyperbor. Roem. Studien l. c.

2) cf. O. Jahn, Einleitung in die Vasensammlung des Koenig Ludwig p. CCXIII.

figurae Thesei nomen eripiunt, tamen ne rationibus deficientibus hoc fecisse videretur, etiam reliquas explicationes, de quibus fortasse cogitari potuit, refutavit. Ac pugnam quidem ab Atheniensibus cum Atlantinis comissam, hic repraesentatam esse id quod ipse antea proposuerat[1]) propterea negavit, quod fabula illa quae apud solum Platonis scholiastam legitur (ad Remp. p. 395 Becker) ante Platonem (Tim. p. 24, Critias p. 108) Atlantinorum fabulas ab Aegiptiis ducentem, neque ab artificibus neque a poetis tractata esse videretur; bellum autem Eleusinium ideo ei displicuit, quod *‚nichts bei diesem Kriege an einen Gegensatz von felsenschleudernden und speergeruesteten Maennern zu denken veranlasst‘*; quem in zophoro nostro deprehendere sibi videbatur. Quam rationem cum falsam esse Lollingus[2]) perspiceret, omnia obstacula remota esse ratus illam interpretationem arripuit. Negari sane non potest, Thraces Eleusinios quamquam ut Pierii cantu celeberrimi erant (Eumolpos — εὖ μέλπεσθαι), tamen ab Atheniensibus feroces atque adeo barbaros habitos esse, quod L. melius, quam fecit, demonstrasset, si Gisekium (Thracisch Pelasgische Volksstämme p. 51 sq.) laudasset. Sed tamen haec explicatio falsa est:

1. primum quod absonum esset, si pugna contra socios Eleusiniorum medium et gravissimum locum teneret, ipsi Eleusinii in latera relegati essent,
2. quod non solum victi sed etiam Athenienses lapides coniciunt, ex quo apparet illa re gentem barbaram significatam esse non posse, quod L. putat,
3. quod usitatissima huius fabulae forma (etiam ab Euripide praelata) ea erat in qua dux Atheniensium (Erechtheus) a Neptuno fuscina occiditur, id quod in hoc zophoro repraesentari nec potuit nec debuit.

Sed harum rationum is tantum indiget, qui figuram mediam alium heroem esse posse concedit atque Thesĕum, quod mihi, ut supra dixi secus videtur.

Lollingum quidem in falsam explicationem incidisse non mirum est, cum p. 36 singulas figuras se explicare non posse

1) Minervae Poliadis sacra p. 6.

2) Nachr. v. d. Goett. Ges. d. Wiss. 1874 nr. 2.

confiteatur, quod idem est, ac si quis drama quodlibet explicare vellet, quamquam, quid singulae personae agerent exploratum non haberet.

Contra omnia plana sunt, si quod etiam Muellerus praetulit, bellum Pallantidarum statuimus. Lapidum enim usus aptissimus est huic bello in regione lapidosa gesto, ut ex Aristophanis (Ach. 234) Pallenes, vici vicini, commemoratione colligere licet. Ita etiam differentia magnitudinis, quam inter duces et milites victarum partium invenimus, explicatur. Pallantidae enim ipsi, si non gigantes (quod olim haud dubie fuerunt; ut Muellerus optime docuit) at certe magnitudine et ferocitate eorum similes habebantur (cf. Soph. apud Strab. IX p. 392), scholiasta autem ad Eur. Hipp. 35 *μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν* eos pugnam commisisse refert; aderant igitur in illa pugna etiam milites solitum hominum modum non excedentes.

Tota denique ratio pugnae miro modo partim mythica partim historica videtur, lapidum usus formaeque solitum modum excedentes mythicum tempus, erectio tropaei, captivi a militibus ligati et custoditi historicum tempus sapiunt; omnia igitur optime concinunt cum bello Pallantidarum, quod cum artissime cum mytho antiquissimo cohaerebat, ut Muellerus demonstravit, tum ab Atheniensibus bellum civile i. e. factum historicum habebatur[1]).

§ 5.

Quamquam sic omnia recte se habent et maxima ex parte iam a Muellero recte explicata erant, tamen Ulrichsius anno 1841 hanc interpretationem falsam esse contendit[2]) praecipue quod illud factum non fuerit dignum, quod in fronte templi

1) Omnium Thesĕi facinorum, quae in Thesēo sculpta sunt (et utriusque zophori et metoparum) quasi adumbrationem deprendas in cylice mus. Greg. (II, 82, 2) quae in interiore parte Centaurum exhibet (cf. zoph. or.) in exteriore parte 1) taurum Marathonium a Thesŏo domitum (cf. met. mer. II.) 2) scaenam quae mihi nihil exhibere videtur, nisi Thesĕum Pallantidas devincentem. Quomodo enim melius heroem clypeo et hasta armatum et quattuor hostes impugnantem in pictura cum duabus aliis ex Thesŏi fabula desumptis coniuncta explices, non video.

2) Ann. d. Inst. p. 74—83.

sculperetur, cui Heydemannus in dissertatione sua adstipulatur, effuse disputans in deorum templis honorifica tantum facta proposita esse posse ac revera esse, id quod iam per se patet. Ad hanc opinionem diiudicandam nos reputare oportet: 1) num exverbis scriptorum vel ratione qua illius facti mentio fit, concludi possit, Graecos Theseo id dedecori habuisse, 2) num omnino in ipso facinore aliquid insit, quod Theseo maculum adspergat.

In relatione caedis summa extat discrepantia. Secundum Pausaniam 1, 28, 10 et Pollucem VII p. 119 in Delphinio accusatus quidem sed absolutus est. Quod cum *πρωτότυπον* posteriorum iudiciorum sit ibique de caedibus, quas iustas fuisse autumabant parricidae iudicabatur, iam solum demonstrat, etiam Pallantidarum caedem iustam fuisse et iustam habitam esse; inspicias etiam, quomodo Pollux hanc caedem plane eodem ordine habeat, quo *τὸ ἄγος τῶν ἀνῃρημένων ὑπ' αὐτοῦ λῃστῶν.* Euripides quidem[1]) exilium *ἐνιαύσιον* consecutum esse narrat et schol. ad illum locum hanc (i. d. *ἐνιαυτισμοῦ*) poenam *τοὺς ἐφ' αἵματι φεύγοντας* dedisse dicit. Sed hic apertissime errat et ex solo Euripidis loco illa deprompsit, cum mythicis temporibus *ἀπενιαυτισμός* nondum usu venerit. Cum vero *ἀπενιαυτισμός* historicis temporibus non caedis iustae (in Delphinio) sed imprudentis (in Palladio) poenam fuisse constet, Euripidem institutionem sui temporis ad fabulam veterem transtulisse apparet. Ac ne historico quidem tempore *ἀπενιαυτισμῷ* Theseo dedecus accresceret. Tzetzes (ad Lycophr. 1324) denique Theseum a Lyco propter caedem expulsum referens etiam minus demonstrat iniustam illam caedem fuisse, cum Lycus etiam si iusta esset, fratris sui filios ulcisci deberet.

2. Macula omnino illi facinori adspergi non posset nisi a) propter proditionem Leo, b) quod Pallantidae cum Theseo cognati erant (*ἀνεψιοί*).

a) Quod Theseus nisi proditione Leo bellum ad felicem exitum non deduxit, minime eius glorium infringit; nam praecipue Graeci insidias et dolum satis iustas putabant belligerandi rationes. Quid? quod Ulixes et Diomedes summam gloriam

1) Eur. Hipp. 35.

sunt consecuti propter facinus illud noctu in dormientibus Dolonis comitibus perpetratum. Hic autem ne ipse quidem Theseus proditor erat, sed tantum ex proditione alius fructum percepit.

b) Difficilior est quaestio de cognatorum caede. Hic semper tenendum est, nil nisi defensionem illam caedem fuisse; quis autem sibi persuadebit, Graecos impiüm putavisse vitam suam contra cognatos defendere. Sed etiam hac excusatione deficiente nullum discrimen videmus factum inter caedem cognatorum aliorumque sola parentum exceptione. Luculentissime hoc exemplum Meleagri docet, quem, quod avumculos suos interfecerat, mater quidem exsecratur, populus autem non modo non expellit, sed donis ad bellum cohortatur[1]. Paullo post cum lustratio usu venire coepisset unus quisque lustrabatur, antequam is qui eum lustrabat, sciret, quem ille interfecisset[2]. Lustratio autem cum qualibet caede quamvis sit iusta coniuncta est nec tamen ulla macula facinori, si modo iustum est, aspergitur. Etiam post illas pugnas cum Scirone, Pityocampte ceterisque commissas Theseus lustratione apud Phytalidas eguit, nec tamen dubitaverunt artifices omnes illas pugnas saepissime ut honorificas in metopis fingere, atque adeo Sinis cum Thesĕo cognatus erat secundum Pausaniam (I, 37, 3 *ὑπὸ τῶν ἀπογόνων τῶν Φυτάλου καθαρσίων ἔτυχε λῃστὰς καὶ ἄλλους ἀποκτείνας καὶ Σίνιν τὰ πρὸς Πιτθέως συγγενῆ*) id quod rem prorsus conficit. Cum igitur facinus Thesĕi illud optime in templo repraesentari potuisse et Ulrichsium iniuria Muelleri explicationem vituperavisse demonstraverimus, nunc, num illius interpretatio aliquid habeat, cur Muellerianae anteponatur, videamus[3].

Ac primum quidem hoc offensioni est, quod explicatio nulla antiquitus tradita fabula nititur sed ex duabus eiusdem fabulae relationibus conflata est. Cum enim videret in media parte pugnam esse fictam, in laeva ligationem captivi, meminit in

---

1) Il I, 529 sqq.

2) Apoll. Rhod. Arg. IV, 702 sqq.

3) cf. Herrmann in Goett. Gel. Anz. 1843 p. 488 – 492 et Friederichs' Bausteine p. 140.

fabula Euripidea, quae Heraclidae inscribitur simile facinus legi ea tantum diversitate a ceteris eiusdem fabulae relationibus, quod primariae partes non Theseo sed Demophonti ibi essent attributae. Iam vero Ulrichsius optime intellexit, mediam figuram nullam aliam esse videri nisi Theseum, sed noli putare eum hoc ideo tantum statuisse, quod templum nostrum Theseum habuit, etiam aliae gravissimae extant rationes, nam esto, ut tale Demophontis facinus etiam alius dei templo aptum sit, atque Thesei (fortasse Herculis) tamen pro parva Demophontis in fabulis mythicis gravitate cum illo deo non cohaereret nisi per Theseum; quis autem credat, sculptorem illud facinus contra usitatam fabulae relationem. Demophonti ascripsisse, quamquam in templo pugna illa Thesei tantum causa sculperetur. Quam difficultatem Ulrichsius ita effugere studuit, ut in auxilium vocaret eas huius fabulae formas, quae leguntur apud Pausaniam (1, 32, 5), Isocratem (Hel. p. 214), Diodorum (4, 57) ubi sane Theseus Heraclidas defendit. Sed neglexit apud hos deesse id ipsum, quo commotus omnino ad Euripidis fabulam zophorum retulit. Deest enim apud illos ligatio Erechthei ab Iolao perfecta, quae valde timendum est, ne ab Euripide, qui semper πάθη excitare studet, conficta sit, ut crudelitatem Alcmenae depingere posset, nam apud solum Isocratem (Pan. 15) Iolaum ἱκέτην factum esse narratur, ubi ne verbo quidem dicitur, qui dux Atheniensium fuerit, Theseusne an Demophon, contra apud Diodorum Erechtheus in fuga ab Hyllo trucidatur (cf. Pind. Pyth. IX, 140 ab Iolao, Strabo VIII p. 377, Apollod. II, 8, 1; Zenob. II, 61). Eo magis probabis Euripidem haec finxisse, si memineris secundum ipsa Euripidis verba (v. 1031) prope Pallenidis deae templum i. e. prope pugnae locum sepulcrum Eurysthei extitisse. Nulli igitur fabulae formae zophorus noster plane congruit; sed non semper artis monumenta ad scriptorum fabulas referri possunt, quare hoc rem nondum conficit. Alia ratio accedit:

Ligatio Eurysthei longe gravissima res in hac pugna non potuit in latere a deis prorsus neglecta fingi; sed medium locum tenere debuit. Sic ut nunc sculpta est, scaena dextra, ubi pariter captivus custoditur, eandem habet gravitatem vel potius aeque parvam. Illud quidem non addiderim, quod

Iuno Heraclidarum inimica implacabilis victoribus i. e. ipsis Heraclidis faveat, cum fig. 7am Iunonem esse negari non possit etsi ab Ulrichsio negatum est. Omnino enim mihi illi dei victoribus non videntur magis favere, quam tres reliqui.

§ 6.

Commemoranda denique non refellenda est Pervanogli sententia, pugnam advenarum Thracum contra autochthonas incultos hic sculptam esse censentis. Quis enim unquam de tali pugna apud scriptores antiquos legit, quis credat Athenienses in templo celeberrimo se ipsos victos sculpsisse? Perversitate igitur harum explicationum Muelleriana per se iam satis certa etiam magis confirmatur.

Cap. III.

Donec templum nostrum notum erat, inter omnes constabat, Theseo id consecratum fuisse. Primus hoc negavit Rossius (τὸ Θησεῖον καὶ ὁ ναὸς τοῦ Ἄρεως. ἐν Ἀθήναις 1838 et ‚Das Theseion und der Tempel des Ares in Athen'. Halle 1852). Ac primam quidem rationem inde petivit, quod Anonymus Viennensis ab ipso editus (τὰ θέατρα καὶ διδασκαλεῖα τῶν Ἀθηνῶν) illud templum Theseum non appellet, contra Cyriacus Anconitanus de scapo inscriptionibus ornato, qui adhuc in templo nostro exstat, haec dicat: *ad marmoream aedem Martis ornatissimam in agro Athenarum adhuc integram stantem XXXm. columnis.* Cum igitur nomen Thesei non sit antiquitus traditum, probabile esse, Babinium id excogitasse, quod iam supra refutavi. Prorsus autem Rossii sententia ad irritum est redacta anonymo a Detlefsenio invento (v. supra) quippe qui sine ulla dubitatione ostenderet, revera traditionem, qua Theseum appellaretur, esse antiquam.

§ 1.

Cum porro Rossius videret zophorum et metopas appellationem Thesei magnopere firmare, omnem vim eis ita eripere studuit, ut zophorum et metopas omnino non esse referenda neque ab artificibus esse relata ad deum, cui templum consecratum esset, demonstraret, quod exemplis quidem confirmavit

sed eis, quae minime apta essent ad illud probandum; diversissima enim confudit non reputans illam legem harmoniae, ut ita dicam, partium cum toto, observari florentibus artis temporibus, non observari labente aut iam senescente artis aetate, non reputans, interesse, utrum templum aliquod in urbe totius Graeciae spectatissima an in remoto aliquo oppidulo, ab artifice illustri an ignobili extructum esset. Relegemus igitur omnia illa exempla templorum Siciliensium et Asiaticorum vel vetustiorum ut Minervae *χαλκιοίκου*, hoc tantum quaeramus, num illo tempore quo templum nostrum exstructum esse apparet, harmonia illa de qua agimus, ab architectis Graecis observata sit. Quod autem templum potius in quaestionem vocabimus, quam Parthenonem, ad quem Thesēum ratione architecturae elegantissima proxime accedit [1]). Neque Rossius hanc analogiam non curavit sed falso de Parthenonis sculpturis iudicavit. Negari quidem non potest, novem metopas in meridionali latere [2]), quomodo cum centauromachia cohaereant, nondum esse explicatum, sed sive dedita opera non cohaerent, ne nimis longa series eiusdem rei aspicientem fatiget (Michaelis p. 126) vel ut iam in uno latere totius metoparum sculpturae quasi adumbratio daretur (Petersen p. 231), sive fortuito hic insertae sunt, tamen inde concludere non possumus, omnino nullam coniunctionem inter res in quattuor lateribus sculptas et Minervam exstare; immo cum omnes metopae orientales haud dubie ad gigantomachiam sint referendae (Petersen p. 205) cum omnes metopae occidentales, sive amazonomachia est, quod mihi probabile videtur, sive pugna Persarum, quod Petersenus praefert; pugnam cohaerentem exhibeant [3]); cum in omnibus metopis meridionalibus praeter XIII—XXIam (vel XXIIam) sola centauromachia aeque atque in novem septentrionalibus sit sculpta, cum denique etiam in illis, quae explicari non possunt coniunctio nonnullarum inter se probabilissima facta sit (XXIV et XXV occid., XV et XVI mer.) dubitari non posse elucet, quin

---

1) cf. Kugler, Gesch. der Baukunst p. 233. Reber, Gesch. d. Baukunst im Altertum p. 289 sqq.

2) His Rossius praecipue nitetur.

3) Michaelis p. 127. Petersen p. 227.

quattuor cohaerentes actiones in metopis sint propositae, quas cum etiam in aliis aedificiis sacris partim coniunctas inveniamus vinculo quodam cohaerere necesse est, quod quale sit, non difficile est ad intellegendum, in omnibus enim ferocitas per sapientiam vincitur; quare aptissimae hae res praecipue coniunctae in templo Minervae dedicato sunt, quae eadem et pugnae et sapientiae favet. Etsi igitur non requiremus, ut celeberrima quaeque dei facta in metopis sculpta sint, quae potius in fastigiis et zophoro fingi debent, praesertim, cum non quaelibet scaena in tot partes discerpi possit, tamen non negabimus gigantomachiam in templo Apollinis Delphico (Ol. 75. finito), Iunonis Argivo (post 89, 2), Iovis Agrigentino (Ol. 93, 3 nondum finito) aptam esse; clarius licet unum alterumve Apollinis vel Iunonis facinus sit, tamen etam in gigantomachia primarias partes egerunt. Aptissimus porro est in Heraeo Iovis ortus et discidium Troiae, quippe in quo illa tantum studium posuerit vel discidium Troiae in templo Iovis Agrigentini, qui eius auctor fuerit, pugnae Herculis in Olympico templo Iovis, cuius filius sit. Eodem modo iudicandum est de eis, quibus Rossius coniunctionem zophori cum templi domino negat. Putat enim Panathenaea propterea non esse apta, quia *Ἀθηνᾷ Πολιάδι* celebrarentur non *Παρθένῳ*; sed omnino totum templum non proprio cuidam Minervae cultui dedicatum erat sed quasi *ἀνάθημα* Minervae Poliadi consecratum, quare nihil illo zophoro aptius inveniri potest[1]). Aeque falsa statuit de templo Victoriae, nescivit enim hoc templum *Ἀθηνᾷ Νίκῃ* esse dedicatum, in qua pugnae Atheniensium (sive contra Amazonas, Persas, Graecos, sive contra Persas et Graecos, sive pugna Plataica[2]) quas Minerva adiutrice feliciter commisserant, aptissima erant, orientalis autem zophorus[3]), etsi certo nondum est explicatus, tamen Minervam ipsam in medio loco positam exhibet (plane eodem modo quo Thesēum in medio loco zophori orientalis Thesĕum) quare non potest non ad Minervam referri. Reli-

1) Michaelis p. 27 sq.

2) Kekulé, die Balustrade des Tempels der Athena Nike in Athen p. 20 et 39.

3) Kekulé p. 17 et 20.

quorum exemplorum a Rossio propositorum nullum aliud in comparationem potest vocari, nisi zophorus templi Apollinis Phigaleensis a celeberrimo illo architecta Ictino constructi. Sed iam Stackelbergius monuit secundum Pausaniam III, 25, 2 in Laconica Apollinem Amazonium et Dianam Astrateam coli, centauromachiam autem Ulrichsius[1]) ad pugnam Herculis cum centauro Homado pro Halcyona commisso (Diod. 4. 12) retulit. Possim igitur eis niti, quae illi viri disputaverunt talem formam Arcadicam centauromachiae et amazonomachiae extitisse contendentes ut cum Apolline et Diana coniungerentur[2]).

At singulae scaenae eae sunt, ut mihi quidem videantur ad nullam aliam centauromachiam referri posse, nisi Thesĕi in nuptiis Pirithoi commissam neque ad aliam amazonomachiam nisi Atheniensium Thesĕo duce[3]), quae certe ab Apolline Epicureo Arcadico deo prorsus alienae erant. Ad aliam excusationem confugiendum est; memores modo simus secundum ea quae supra monui, hoc templum in oppidulo remoto esse exstructum architectumque quamvis celebrem fortasse praescripta non satis apta accepisse a civibus illis Atheniensia exempla etiam in templo suo repeti iubentibus. Minime tamen hac exceptione lex harmoniae, dequa quaerimus, laeditur. Quam incredibile autem iam per se sit, Graecos architectos templa sine ulla sana ratione et ordine sculpturis adornasse nemo non videt.

§ 2.

Alterum argumentum quod Rossius[4]) contra Thesĕi denominationem protulit petitum erat ex heroum cultu; nullo loco Thesĕum deum nominari, heroem autem, nisi deus factus esset templum non habere, deinde monumentum Thesĕi etiam secundum rationem, qua apud scriptores commemoraretur nihil aliud videri nisi sepulcrum, ab accuratis enim scriptoribus nullo verbo appellari nisi quod *ναοῦ* inferius esset. Magnum illud spatium,

1) l. c. p. 75.
2) cf. Schulz, Amazonenvase v. Ruvo p. 2. Panofka in Ann. d. Inst. V, p. 255.
3) cf. Boetticher, Koenigl. Museen p. 95.
4) Theseion p. 32.

quo opus fuisset ad exercitus capiendos, requirere locum apertum, non templum clausum; solum verbum, quod tectum aedificium indicare videretur (σηκός) etiam ita intellegi posse, ut idem sit, quod τέμενος in cuius muris fortasse picturae a Pausania commemoratae propositae fuissent, si denique a lexicographis ναός appellaretur parvi hoc momenti esse et Etymologicum dubitanter tantum verbum τέμενος ναῷ corrigere.

Sed falsum primum est, Thesĕum, quod heros, non deus esset, templum habere non potuisse. Neque enim heroes semper sine templo erant neque Theseus non est cultus ut deus, cultus autem Thesĕi hic solus in quaestionem est vocandus, in Olympum eum non ascendisse nihil refert.

1) Heroes etiam templa habuisse inde colligimus, quod Pausanias nonnullis ναόν attribuit, ναόν autem semper popria tantum significatione usurpat. Iam Gurlittus Hippolyti mentionem fecit[1]), qui quamquam semper ἥρως nominatur, tamen ναόν habuit. Quod Rossius hunc Olympiis, non heroibus adnumerandum esse putat, cum ut ἡνίοχος in caelum sit evectus, eo refutatur, quod permulti inter sidera inveniuntur, qui haud dubie heroes erant, ut Perseus, Andromeda. Iam vero, cum mythus Thesĕi una cum Neptuno haud dubie Troezene Athenas sit transportatus, summam vim illius exemplum habet. Quid enim minus probabile est, quam Troezenios heroi suo templum aedificasse, Athenienses Thesĕo multo magis illustri et a poetis, oratoribus, historicis celebrato hunc honorem negasse, praesertim cum Thesĕo aeque atque Hyppolyto a Diodoro[2]) ἰσόθεοι τιμαί ascribantur.

Triptolemus Eleusine ναόν habuit[3]), aeque atque Athenis, quamquam Pausanias hic statuam tantum in eo collocatam commemorat[4]), quem heroem fuisse non deum inde apparet, quod Ceres afflatu eum in igne positum immortalem reddere conata, a parentibus prohibita est[5]).

---

1) Zeitschrift f. bild. Kunst VIII p. 87.
2) IV, 62.
3) Paus. I, 38, 6.
4) Paus. I, 14, 1.
5) Apollod. I, 5, 1. Hygin. fab. 147.

Panops (ἥρως Ἀττικός) ναόν habuit secundum Hesych s. v.; Pallas, Lycaonis filius sec. Paus. VIII, 44, 5.

Nec minus Temesae incolae comiti Ulixis, quem interfecerant, ab oraculo iussi templum consecraverunt (τέμενός τ' ἀποτιμομένους οἰκοδομήσασθαι ναόν), ut heroem placarent[1]).

Minime obstat, quod Paus. III, 13, 1 Castori praeter ἱερόν etiam μνῆμα dedicatum esse dicit cum sero demum deus sit factus; nemo enim negabit, in universum heroes μνῆμα tantum habuisse, deos autem templa; paucae igitur exceptiones, quae exstabant a Pausania facile potuerunt neglegi[2]).

2. Theseus autem, etsi heros erat, tamen ut deus est cultus, quod apertissime dicit Diodorus (IV, 62) ἰσοθέους honores ei ascribens. Rossius quidem negat hoc verbo maiores quam heroicos honores significari, cum apud Homerum etiam heroes ἰσόθεοι appellentur; quae adeo non sunt apta, ut ea refutare paene longum sit, interest enim profecto, quid poeta exaggeratione quadam dicat et quid Diodorus, qui in capite primo illius libri accuratissime inter θυσίαι ἰσόθεοι et ἡρωικαί distinxit. Rossius etiam si claris verbis honores Thesëi θεῖοι a Diodoro appellati essent, Homeri θεῖον ὑφορβόν in auxilium vocare potuisset. Quid? quod a Cicerone[3]) Theseus paene in eodem dignitatis gradu ponitur atque Aristaeus, qui non solum honoribus divinis effectus, sed etiam deus factus est[4]). Quanto honore Theseus apud Athenienses fuerit notius est, quam ut singula afferam. Hoc tantum moneo, quam arte cultus eius deorum cultum attigerit, inde colligi posse, quod octavo quoque mensis die una cum Neptuno colebatur[5]), maxime autem octavo die mensis Πυανεψιῶνος (Θήσεια Plut. Thes. 36); quod

---

1) Paus. VI, 6, 3. Falso Hermannus (G. A. § 16 A. 12) illum pro daemone habuit, δαίμονα Pausanias manes mortui appellat, donec nondum placati erant. Ipse autem ille postea ut heros est cultus, quod non solum ἡρῷον Pausaniae (v. infra) sed etiam nomen docere mihi videtur. Hoc enim haud dubie inde fluxit, quod Temesae incolae heroem anonymum colebant, cuius appellatio (ἥρως κατ' ἐξοχήν) postea in nomen proprium est conversa.

3) de nat. deor. III, 8, 45.

4) Paus. VIII, 2, 2.

5) Hermann, G. A. § 62, 27 Mommsen, Heortologie pag. 269—287.

sacrificia ei offerebantur una cum Neptuno in Rhio promontorio;[1]) quod denique sacerdotem[2]) thesaurumque[3]) habuit. Sacrificium Theseo oblatum sculptum invenitur apud Lebas roy. arch. monum. Fig. pl. 50. Arch. Ztg. 1846 pag. 129 sq.

Theseum autem illud a Cimone conditum a mero heroo fuisse diversum, etiam inde colligi posse mihi videtur, quod schol. Aesch. c. Ctes. 4 § 13 duo fuisse Thesea in urbe affirmat; omnibus enim ceteris locis Theseum nude ponitur, quod nisi alterum Theseum (ἡρῷον) magnitudine et splendore superasset, fieri non potuisset. Sed plus huic loco tribuo; iniuria enim puto a Sauppio *ἱερόν*, quod codices exhibent, in *Κίμων* mutatum esse; cui libet certe scholium illud legenti[4]) patet, cum totum scholium multis locis mutilatum esse, tum ante haec ipsa verba, *ὅ ἔκτισεν αὐτῷ ἱερόν* aliquid excidisse, quae non pertinere ad praecedentia *ὃ ἦν — πόλεως* ex eo apparet, quod Theseum illud a Cimone conditum (de quo verba fieri sequentia *ἀπὸ Σκύρου* Schultz rectius quam Becker *ἐκ Σκύρου* docent) in urbe situm erat (Plut. l. c.). Nonne igitur multo probabilius est, Cimonem ante, ubi aperte nonnulla exciderunt, esse commemoratum et verba illa optimum sensum praebentia esse intacta, quam *Κίμων* in *ἱερόν* depravatum, quae si vera sunt, non temere *ἱερόν* positum esse potest, nam plane supervacaneum est, nisi ad distinguendum hoc Theseum a ceteris additum est. At enim, dicat aliquis, vox *ἱερόν* tam ambigua est, ut ex ea nihil discere possimus. Sane quidem, si usurpatur generaliter ad locum vel aedificium aliquod significandum, contra non est ambigua, si aliis locorum sacrorum appellationibus opponitur, ut apud Paus. III, 13, 1: *ἔστι δὲ Κάστορος μνῆμα, ἐπὶ δὲ αὐτῷ καὶ ἱερὸν πεποίηται· τεσσαρακοστῷ γὰρ ὕστερον ἔτει τῆς μάχης τῆς πρὸς*

1) Paus. X, 11, 5.

2) Keil, Philol. 1866 pag. 240 sq.

3) Boeckh, kleine Schriften VI, pag. 222 sqq., pag. 225, Z. 15 d. Urkunde, pag. 227 m. A.**) = Kirchhoff, C. I. A. nr. 273; Kirchhoff C. I. A. nr. 203, 210, 215; cfr. Rangabé, Antiquités hell. II, 1059, ubi *ἱεροποιοί* commemorantur.

4) haec sunt illa verba: *δύο Θησεῖα ἐν τῇ πόλει . . . ὃ ἦν αὐτοῦ κενοτάφιον ποιήσαντες καὶ ἔξω τῆς πόλεως. ὃ ἔκτισεν αὐτῷ ἱερόν, ὅτε κατήνεγκεν αὐτοῦ ἀπὸ Σκύρου τὰ ὀστᾶ.*

"Ιδαν καὶ Λυγκέα θεους τοὺς Τυνδάρεω παῖδας νομισθῆναί φασιν. Ratio affertur, cur Tyndarida praeter *μνῆμα* etiam *ἱερόν* habuerit, quod nihil aliud nisi aedem esse posse apparet. Ib. 16, 5. *Λακεδαιμόνιοι δὲ καὶ Λυκούργῳ τῷ θεμένῳ τοὺς νόμους, οἷα δὴ θεῷ πεποιήκασι καὶ τούτῳ ἱερόν. ἱερόν* igitur etiam hic aliquid deorum proprium, ab heroicis sacris diversum significat. Etiam illud Aeschinis scholium *ἱερόν* opponit *κενοταφίῳ* modo nominato, ne hic quidem igitur aliud significare poterit, nisi aedem sacram.

At Photius Thesēum *ἡρῷον* appellat; quod non tam leviter sum refutaturus, quam Rossius *ναόν* ceterorum fidem suspectam dicens, nam cum nesciamus, unde illa glossa derivata sit, de fide certo quidem iudicari nequit, nihil autem est, cur eam in suspicionem vocemus. Immo ita *ἡρῷον* defendo, ut propria significatione hic positum esse censeam; *ἡρῷον* (ut *Ἡράκλειον, Ἀμαζόνιον, Ἡφαιστεῖον) ἱερὸν ἥρωος* est, utrum *μνῆμα* an aedes sit, ex eo concludi non potest. Sane cum heroes plerique nihil aliud nisi *τέμενος, μνῆμα, τάφος, σηκός* haberent, fieri potuit, ut praecipue illo sensu usurparetur aeque atque in locis Pausanianis quos modo laudavi templum, quod paene semper deis consecratur, non satis accurate solis deis ascribitur; nihil autem est, cur putemus nunquam *ἡρῷον* de templo potuisse usurpari, cum supra demonstraverim nonnulla quamvis pauca *ἱερὰ ἡρώων* templa fuisse. Optime haec confirmantur a Pausania[1]) qui, postquam herois Temesii templum commemoravit, archaicam picturam se vidisse affirmat, in qua praeter alia *Λύκα πηγή, πρὸς δὲ ἡρῷόν τε καὶ Τεμέσα ἡ πόλις* picta fuisset eodemque loco heroem, de quo agit, fuisse, cui in pictura nomen Lycae datum esset; nam illud Lycae heroum templum herois esse, quod modo plus semel commemoravit, apparet. Nec licet putare, Pausaniam negligenter vocem *ναός* pro heroo usurpasse, nam praecipue in usu huius verbi Pausanias est accuratissimus[2]), Eustathius quidem *ναός* etiam de herois usurpare videtur, *σηκός* enim (ad Od. IX, 219) explicat: *οἱ δὲ μεθ' Ὅμηρον καὶ ἐπὶ ναὸς τὴν λέξιν ἔθεντο, σηκὸς γοῦν φασι τὸ ἡρῷον*; sed ipse

1) VI, 6, 3.

2) Ross, Theseion pag. 29. A. 89.

se quasi corrigit: posteriores etiam de aedibus vel certe (*γοῦν* = ut accuratius dicam) de herois usurpaverunt. Plane aliter res se habet, si nude ab Hesychio Thesēum explicatur: *νεὼς Θησέως, ἐφ' ὃν οἱ ἀποδιδράσκοντες κατέφυγον* et ab Etymologo Magno: *τέμενός ἐστι τῷ Θησεῖ, ὃ τοῖς οἰκέταις ἄσυλον ἦν. ἢ ναος τοῦ Θησέως, ἐφ' ὃν οἱ ἀποδιδράσκοντες δοῦλοι προςέφευγον.* Neque enim lexicographus, postquam primo *τέμενος* explicavit, dubitanter *ναός* addit, quod Rossius contendit; sed haec discrepantia inde orta est, quod ex duobus diversis scriptoribus illas glossas congessit, quarum utraque parem vim habet. Ac profecto optime concinunt, nam *τέμενος* aedem non excludere apertum est, nec difficile est dictu, cur ille Thesēum verbo *τέμενος* explicaverit; aliter enim dicere non potuit, quod servi non in aedem ipsam, sed in aream sacram confugiebant; *τέμενος ἄσυλον* est, sed *ἐπὶ* (*ad* non *in*) *ναόν* confugiunt, utrumque igitur aptissimum est[1]).

§ 3.

Restat, ut de rationibus Rossii quaeramus, quas ex topographia petivit, ac de coniunctione quidem cum Ptolomaeo verbisque Plutarchi *ἐν μέσῃ τῇ πόλει* supra iam satis dictum est.

Sed inde a Rossio vv. dd. ex tota ratione, qua Pausanias Athenas describit, etiam de situ Thesēi aliquid lucrari studuerunt, quorum ei qui non omnem descriptionis continuationem negant, in duas diversas abeunt sententias; aut uno tenore Pausaniam procedere contendunt, aut descriptionem ex singulis partibus (Giro) compositam esse iudicant, quae per se quidem sanum ordinem servent, inter se autem non satis cohaereant. Ac mihi quidem neutra sententia prorsus probatur, quamquam et ipse hoc intellego, descriptionem non omni ratione carere posse. Attamen tantum abest, ut recta via (Wachsmuth) Pausaniam processisse putem, ut etiam in singulis illis partibus, quas Curtius, Boetticher statuunt, eum saepe de recta via abiisse, saepe eandem viam retro ivisse putem, quod cum Paus. quam plurimas res memorabiles tota urbe dispersas describere vellet, iam *ἀπ' ἀρχῆς*, ut ita dicam, statuendum esse videtur. Hac opinione

1) de ceteris cf. Curtius, Arch. Ztg. 1843, pag. 102. Stark, Philol. XIV, pag. 715 sq.

capta acccuratiusque Pausaniae verbis inspectis mihi persuasi, quotiescunque desultorio modo pergat, sive a recta via abierit ad illamque redeat, sive leviora omittat semper ipsum hoc indicare. Perlustrans enim totam descriptionem invenias, semper adverbium aliquod addi, rationem, qua monumentum de quo agit, cum monumento modo commemorato cohaereat, indicans (*πλησίον, οὐ πόρρω, πρό, μετά, ἐν δεξιᾷ, ἐν ἀριστερᾷ, ἐντεῦθεν*). Ubi talis particula omissa est interruptio itineris est facta, quae antequam accuratius perquiramus, monendum est: 1) Pausaniam ut par est, particulam omittere, si maiore aliquo spatio ante commemorato singula quae continet, describit; 2) in platea aliqua procedentem pro monumento praecedenti, id quod non potuit, notum aliquod aedificium nominare ad singularem locum significandum, de quo verba est facturus; 3) in arce hac ratione Pausaniam uti non potuisse, nisi nimis qui eius librum erant lecturi, defetigare voluisset. Nam innumerabilis statuarum multitudo, etsi *τὰς ἀφανεστέρας γράφειν οὐκ ἐθέλει* prohibebat, ne tam accurate de situ monumentorum ageret, etsi sanum itineris ordinem servaret. De ceteris descriptionis partibus nunc videamus et ita quidem, ut eos conferamus locos, in quibus illam coniunctionem omisit, in quibus, si demonstrari poterit interruptionem viae esse factam, rationem nostram comprobaverimus.

ἀνιόντων ἐκ Πειραιῶς; antea in via Phalerea usque ad portam (Itoniam) processerat, nunc monumenta in Piraica usque ad portam describit; quomodo ab altera ad alteram transgressus sit, non dicit, sed particula omissa interruptionem indicat [1]).

εἰσὶ δὲ τάφοι κατὰ τὴν ὁδόν, ἔστι δὲ τάφος οὐ πόρρω τῶν πυλῶν, ἐσελθόντων δὲ ἐς τὴν πόλιν; describit igitur singula, quae in eadem via, quam generaliter *ἀνιόντων* ect. significavit, vidit (v. supra 2).

στοαὶ δέ εἰσιν ἀπὸ τῶν πυλῶν — ἐς τὸν Κεραμεικόν. His verbis non ad Cereris templum Neptunique statuam proxime praecedentem porticus adnectit. Rectissime hoc fecit, si quod valde mihi arridet, verum est, Pausaniam ad illa monumenta a via devertisse [2]).

1) Wachsmuth pag. 6. Curtius pag. 49.

2) Wachsmuth pag. 47.

ᾠκοδόμηται δὲ καὶ Μητρὸς θεῶν ἱερόν. Metroum in meridionali fori parte situm, quantum a templo Apollinis Patroi in occidentali parte sito, abfuerit, accurate dici nequit[1].

ἔστι δὲ καὶ Δημοσθένης ea quae antecedunt supra tholum sita erant (*ἀνωτέρω δὲ ἀνδριάντες ἑστήκασιν ἡρώων, μετὰ δὲ τὰς εἰκόνας τῶν ἐπονύμων, ἐνταῦθα*) Demosthenis autem statuam in foro infra tholum stetisse censendum est, cum Ps. Plut. vita Demosth. eam prope aram *δώδεκα θεῶν* et *περισχοίνισμα* commemoret.

τοῦ θεάτρου δὲ ὃ καλοῦσιν Ὠιδεῖον. Satis notum, quanta interruptio viae hic fiat; hic igitur aeque particula coniunctiva deest atque cum redit ad forum: *ὑπὲρ δὲ τὸν Κεραμεικόν* ect.

ἰοῦσι δὲ πρὸς τὴν στοάν, ἣν ποικίλην ὀνομάζουσιν. Situs huius porticus non constat, sed sive in septentrionali sive in occidentali fori parte ponetur[2], porta cum Mercurio Agoraeo quae viam ad forum ferentem aperiebat, ab Aphrodisio in colle sito plus minusve distabat.

Sequitur interruptio post Thesēum, de qua quaerimus.

πρὶν δὲ ἐς τὸ ἱερὸν ἰέναι τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου. Ab Ilithicae templo Pausanias ad Olympiēum accedit nulla portae adhuc restantis mentione facta, qua Hadrianopolis intrabatur. Interruptam descriptionem omissa particula coniunctiva indicat.

ἐστὶ δὲ καὶ ἄλλο ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἐπίκλησιν Δελφινίου. Paene omnes hoc Pythio adiunxerunt, etsi situm accurate definire non potuerunt[3]. Sed mihi valde dubium est, num omnino in hac regione situm fuerit Delphinium; immo eodem modo, quo Pausanias post Cereris et Triptolemi templa statim Eleusinium subiunxit paene tota urbe distans, post Hadriani Olympieum cetera aedificia ab Hadriano exstructa quamvis diversis in regionibus sita, post Areopagum denique caetera iudicia, sic hic de uno Apollinis templo loquens alterum fortasse plane diverso loco situm addidit, quae si vera sunt, optime deest particula coniunctiva.

ἐς δὲ τὸ χωρίον, ὃ Κήπους ὀνομάζουσι καὶ τῆς Ἀφροδίτης

1) Curtius pag. 27 et 51.

2) Curtii sententia in orientali fori parte collocantis prorsus mihi repudianda videtur, sed hoc nihil ad nostram quaestionem.

3) Leake pag. 199; Wachsmuth pag. 19; Curtius pag. 23.

τὸν ναόν; orationem hic non esse continuatam ex eo patet, quod regio *Κῆποι* extra muros erat[1]), a Pausania autem nulla portae vel murorum fit mentio. At enim Pythium (et Delphinium) iam extra muros erat situm, moenia enim inter Pythium et Olympieum pertinebant secundum Strabonem (IX p. 404), quod verbis Pausaniae apertissime refelli puto; nunquam enim dicere potuisset *μετὰ δὲ τὸν ναὸν τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου πλησίον ἄγαλμά ἐστιν Ἀπόλλωνος Πυθίου* cumulatissime proximam viciniam significans, si moenibus disiuncta fuissent, murus autem, quem Strabo inter Olympieum et Pythium commemoravit, murus *περιβόλου*, non urbis est, quod iam Wachsmuthio in mentem venit.

ἔστι δὲ Ἡρακλέους ἱερὸν καλούμενον Κυνόσαργες . . . . *Λύκειον δὲ* . . . . utrumque igitur sine coniunctione cum antecedenti aedificio profertur. Sane situs horum gymnasiorum non certo constat, attamen intervallo ea separata fuisse inde apparet quod illud scimus prope Lycabettum situm fuisse (propter Plut. vita Isocr. cf. Leake p. 201) Lyceum autem prope Ilissum duo vel tria stadia super templum *Ἀρτέμιδος Ἀγροτέρας*, quod ecclesiam Petri Stauromatomenu esse paene omnes consentiunt (nota Plat. Phaedr. p. 229 B). Utut igitur accurate situm definies (Curtius p. 53 prope Rizarion collocat, quod idem ferme est atque id quod Wachsmuthius p. 19 vult) maius minusve intervallum inter utrumque gymnasium erit. Cynosarges porro a templo Veneris disiunctum fuisse, certo nondum demonstrari potest, sed cum hucusque probabilissimum sit, in horto regio olitorio id situm fuisse, ubi etiam *κάθοδος* illa Pausaniae nunc reperta esse dicitur (Curtius l. c.) templum illud gymnasium non tetigisse iudicabis.

(Boreas) . . . *ἐθέλουσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ ἄλλων θεῶν ἱερὸν εἶναι τὸν Εἰλισσόν, καὶ Μουσῶν βωμὸς ἐπ' αὐτῷ ἐστιν Εἰλισσιάδων· δείκνυται δὲ καὶ ἔνθα Πελοποννήσιοι Κόδρον κτείνουσι.* Omnia disiuncta. Wachsmuthius luculentissime demonstravit, Pausaniam haec monumenta perlustrantem Ilissum transire ea via, quam Plato Phaedr. p. 229 commemorat, i. e. prope ecclesiam S. Petri, sed non recte fecit, quod propterea Musas et Codrum supra illum locum collocavit. Mythus enim Boreae a

1) Plinius 36, 5.

Pausania inter Nisum et Musas nullam aliam ob causam commemoratus esse potest, nisi quod aram eius praeteriit. Ara ipsa plane eadem negligentia omissa est, qua signum tantum Apollinis Pythii et Triptolemi commemoravit templis neglectis. Ex Platonis autem loco discimus, eam prope illum locum fuisse, quo Ilissum transiit unde efficitur, ut, quae sequuntur, Musae Il. et Codrus infra illum locum in ripa dextra sita fuerint, quod si verum est, apparet Pausaniam aram Boreae cum praecedentibus non potuisse coniungere duobus vel tribus stadiis interiectis. Eodem modo, quo ad Musas et Codrum devertens, rursus ad pontem illum rediens particulam coniunctivam omittit. Musas a Codro, Codrum a Borea separata fuisse non magis demonstrari potest, quam contrarium. Probatum esset, si supra Wachsmuthio assentiri potuissem, nam Nisi *μνῆμα*, Musarum aram Codrique *πέσημα* per tria stadia non potuisse pertinere nemo non videt; certe mihi illa non repugnant.

τὸ δὲ στάδιόν ἐστι λευκοῦ λίθου · stadium in valle situm ab ecclesia S. Petri colle 379 pedum (: 300) disiunctum est.

ἔστι δὲ ὁδὸς ἀπὸ τοῦ Πρυτανείου καλουμένη Τρίποδες. Hic interruptionem esse factam nemo negat.

τοῦ Διονύσου δέ ἐστι πρὸς τῷ θεάτρῳ τὸ ἀρχαιότατον ἱερόν (ad 2).

τοῦ δὲ Ἀσκληπιοῦ τὸ ἱερόν . . . μετὰ δὲ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀσκληπιοῦ ταύτῃ πρὸς τὴν Ἀκρόπολιν ἰοῦσι Θέμιδος ναός ἐστι· κέχωσται δὲ πρὸ αὐτοῦ μνῆμα Ἱππολύτῳ · Ἀφροδίτην δὲ τὴν Πάνδημον . . . Θησεὺς αὐτήν τε σέβεσθαι καὶ Πειθὼ κατέστησε· ἔστι δὲ καὶ Γῆς Κουροτρόφου καὶ Δήμητρος ἱερὸν Χλόης. Situs omnium horum aedificiorum non tam accurate notus est, ut iudicare possimus, utrum P. omnia uno ordine adire potuerit an ad aliquod eorum e recta via declinare debuerit, hoc alterum in Hippolyteo factum esse demonstrari potest. Si recta via processisset, Hyppolyteum post Themidis templum commemoratum non potuisset *πρὸ αὐτοῦ* situm esse. Nam parvum *μνῆμα* Hippolyteum non fuisse ita ut fortasse in fronte templi Themidis situm breviter post illud commemorari potuerit, ex eo apparet, quod templum Veneris Hippolyteae inclusit[1]).

1) Wachsmuthius p. 25. Boetticher Philol. Suppl. III, p. 418 qui Themidis templum inter Pandemum et Hyppolyteum situm fuisse censet.

Quoad igitur omnino iudicari potuit nullum locum invenimus, qui nostrae regulae renueret, itaque non nimis audax erit, si analogiam etiam in eo loco, de quo quaerimus observatem esse et particulam coniunctivam post Theseï commemorationem omissam interruptam descriptionem indicare statuemus. Tantum igitur abest, ut Pausanias, quia post Theseum Anaceum commemorat, nos cogat, Theseum prope Anaceum collocutare, vel id ipsum cogere nos videatur, id in loco diverso ponere.

§ 4.

Haec habui, quae contra Rossium proferrem, sed infeliciter accidit, ut non solum inimicos defendere, sed etiam amicos retrudere debeam. Rationes enim, quibus Boetticher [1]) Theseï denominationem defendere conatus est, mihi prorsus improbantur, quod accuratius nunc explicabo. Ac novum quidem fulcrum veteris nostri templi denominationis se in numero graduum invenisse putavit; heroa enim et deorum inferorum templa parem, deorum Olympicorum imparem numerum graduum secundum leges in cultu Graeco observatas habuisse; in Theseï igitur templo, qui heros fuisset, numerum graduum imparem esse debuisse; quod quia se ita haberet in nostro templo, probabilitatem illius denominationis nonnihil augere; sed nulla ex his tribus sententia vera; 1) primum enim falsum est heroes et inferos solos parem numerum graduum habuisse, immo nullum discrimen inter deos et heroes in hac re extitit (secundum quas leges numerus graduum constitutus sit, nescimus); 2) deinde Theseus heros quidem erat, sed non ut heros, sed ut deus colebatur, quod supra est demonstratum; 3) esto tamen ut illa Boetticheri lex vera sit, tamen in nostro templo minime apta est ad denominationem Theseï firmandam, cum hoc tres gradus, imparem numerum habeat.

1. Lex, quam Boetticherus de gradibus proponit, nullo antiqui scriptoris loco nititur. Unus, ex quo colligi potest, omnino aliquod religionis praescriptum de gradibus templorum

1) Bericht ueber die Untersuchungen auf der Acropolis von Athen im Frühjahr 1862. Berlin 1863. p. 181 — 189. Tektonik. 2. Auflage. Dorika. Berlin 1872. p. 180.

extitisse, legitur apud Vitruvium (III, 3, 4): *Gradus in fronte constituendi ita sunt, uti sint semper impares. Namque cum dextro pede primus gradus ascendatur, item in summo templo primus erit ponendus.* Nolo urgere hoc praescriptum fortasse de Romanis templis datum esse, id quod, ut infra videbimus, haud dubie ita se habet in lege de templorum directione data. Hic enim maior vis, quam dextrum latus habet, Graecum morem indicare videtur[1]) Sed si simpliciter illum Vitruvii locum interpreteris, nihil aliud elicias, nisi usitatum fuisse, ut in primo gradu pes dexter poneretur. Inde Vitruvius ratiocinatur, aptissimum fore, ut etiam in summo gradu dexter pes ponatur id quod non potest fieri, nisi numerus graduum impar est. Ante omnia monendum est, ne tum quidem, si Vitruvii regula cum Boetticheri sententia congrueret, magnam ei vim hac re accrescere. Regulae enim Vitruvii ad exemplar templorum labentis, non florentis artis saepissime summa licentia facta sunt. Multo magis hoc in nostro loco statuere possimus, cum ipsum dicendi genus Vitruvium rationes ex suo ipsius ingenio hausisse indicet. Sed etiamsi maiorem vim habeat, num omnino idonea est, qua Boetticher sententiam suam defendat? Minime, discriminis enim inter heroes et deos facti nullo verba fit mentio, quod Vitruvius ut gravissimum, haud quaquam, si extitisset, silentio praetermisisset.

§ 5.

2. Iam vero adversantur Boettichero templorum Graecorum parietinae etiam nunc extantes locique scriptorum in quibus templa commemorantur vel describuntur. Etsi enim difficillimum est in hoc genere certa exempla afferre, quia paucissima templa certis diis attribui possunt, tamen sufficiunt ad Boetticherum refutandum. Cum illud praescriptum datum sit de gradibus, quibus templum intratur, apparet nullos alios in quaestionem vocari posse nisi quibus revera ascenditur, quo res per se difficilis prorsus contorta fit. Semper enim quaerendum est, num praeter gradus totum templum circumdantes, in

---

1) Cic. de div. II, 39. *ita nobis sinistra videntur, Graecis et barbaris dextra meliora.* cf. Hermann G. A. § 38, 10.

fronte praeterea minor ascensus extiterit, quo numerus graduum par impar, impar par reddatur. Si de illis tantum gradibus ageretur, qui totum templum circumdant, ageretur, facillima haec quaestio esset. Omnia enim sex templa Selinuntina parem numerum exhibent (A 4, C 4, D 4, F 4, G 2, E 4 cum minore) esto ut ultimum alteri parti adnumerandum sit; quis tamen credat inter sex quinque templa Selinuntina inferis dedicata fuisse, quamquam in inscriptione illa celeberrima Apollonii nullus deus χθόνιος vel heros nominetur excepta Cerere cum Proserpina, quae inter inferos et Olympicos ambiguae sunt. Heroa inter templa usque ad hunc diem conservata exstare praeter Thesēum, nemo opinabitur, quoniam rarius omnino heroibus templa sunt consecrata atque fere eis tantum, qui civitatem quasi patroni protegebant, ut Thesĕo Athenis, Hippolyto Troezene, Triptolemo Eleusine. Itaque cum in nullis aliis oppidis nisi Agrigenti[1] et Selinunte[2]) parietinae extent, quae materiam satis amplam praebeant ad nostram quaestionem diiudicandam, in his autem oppidis talium heroum nulla ad nos perduraverit memoria, heroes omnino omittemus, si autem inveniemus inter deos Olympicos et inferos discrimen factum, his heroes adnumerabimus. Sed extat Selinunte aedificium, quod aediculam quam templum appellare malis (B). Si igitur ullum, hoc propter exiguitatem et simplicitatem ἡρῷον est appellandum, tamen quinque magnos et unum parvum gradum exhibet, sive quod haud dubie maiores erant divisi 5 . 2 + 1 = 11, imparem numerum. Quod cum heroum esse non constet, strictim tantum attigerim, videamus, quid ex ceteris templis haud dubie deis consecratis disci possit.

Heraeum quidem (quod propter inscriptionem Ἥρᾳ εὔχάν prope altaria repertam et caput permagnum Iunoni aptissimum paene certo huic deae tribui potest) in fronte undecim gradus habet. Aeque C et D, si Benndorfii denominatio (Apollinis et Minervae) recta sit, Boetticheri regulae faveant, cum utrumque in fronte quinque gradus exhibeat. Sed Apollonium omnium

1) Schubring, Topographie v. Acragas.

2) Benndorf, d. Metopen. v. Selinunt et Bullettino della commissione municipale di antichità e belle arti di Sicilia. 1871. 1872. 1873.

certissimum duos tantum gradus in delineatione Serradifalconis exhibet, quod plane illi legi adversatur; Benndorfius quidem etiam tertium in quattuor lateribus habet, Cavallarius tamen vir doctissimus liberalitate insigni in litteris ad. v. d. prof. Foersterum[1]) datis usque ad hunc diem nihil effossum esse praeter duos illos gradus neque iam iudicari posse, num in fronte tertia minor fuerit, affirmat. Reliquorum templorum F parem quidem numerum (4 gr.) exhibet, sed cum demonstrari non possit, hoc deo Olympico fuisse dedicatum nulli est usui.

Ex Agrigentinis undecim templis (quae nominant Cereris, Iunonis, Herculis, Concordiae, Iovis Olympici, Tyndaridarum, Aesculapii, anonymum, Vulcani, Iovis in arce, Minervae in arce) tria[2]) parem graduum numerum habent (Herculis, Concordiae, Iunonis, omnia quattuor, Iunonis post renovationem sex infronte). Ex reliquis imparem numerum exhibentibus paene certo sunt denominata templa Iovis et Minervae in arce, Aesculapii in suburbio, probabilis est etiam denominatio templi Cereris et Proserpinae, quod imparem numerum habet. Restant igitur tria templa imparis numeri, quibus certa denominatio dari non potest, non magis constat appellatio trium vel quattuor parem numerum exhibentium. Cultus autem Agrigentini investigari praeter iam nominatos (Iovis, Minervae, Cereris et Proserpinae, Aesculapii) nulli alii possunt nisi Herculis, Tyndaridarum, Apollinis, Neptuni, Bacchi, Vulcani, qui omnes Olympii sunt. Quare cum omnes imparem numerum requirant, quis tam credulus erit, ut nullum inferi dei cultum apud scriptores antiquos commemoratum esse, omnia autem illorum deorum Ol. templa plane evanuisse arbitretur, quamquam secundum parietinas quattuor dei Olympici commemorati esse, secundum scriptores sex templa imparium graduum extare deberent. Haec differentia tanta est, ut nihil referat, si unum fortasse ex illis cultibus (Vulcani) falso prolatum esse censeas.

---

1) qui summa benevolentia me petente illum de hac re interrogarat.

2) de Vulcani templo Schubr. p. 70 dicit: *„Auf dem Fundament ruht eine Schwelle und auf dieser zwei Stufen. . . . Ueber diesen stehen noch drei Stufen.“* Cum nihil accuratius de magnitudine singulorum addat, fieri sane potest, ut quinque illi sub divisi fuerint, unde impar numerus graduum exoriatur.

Iunonis porro quod dicitur templum hoc certe demonstrat alteram utram Boetticheri sententiam falsam esse, aut eam qua heroa et inferorum templa orientem versus esse directa autumat, de qua postea agetur, aut eam, qua talia templa parem graduum numerum habere contendit. Orientem enim hoc templum spectare constat, quamquam imparem exhibet graduum numerum; illud deo Olympico id consecratum fuisse demonstraret, hoc infero vel heroi si Boetticheri opiniones verae essent. Hoc exemplum urgeo, quod id orientem spectasse luce clarius est; sed mea quidem sententia idem cetera, quae parem numerum habent templa evincunt, quia nemodum dubitavit, quin orientem spectent; qui Theseum occidentem spectasse contendit, sane etiam haec frontem in occidentali parte habuisse autumare potest!

Templum nuper Syracusis detectum, si demonstrari possit, deo Olympico fuisse consecratum, optime pro nobis faciat, cum quattuor subdivisos (i. e. octo) gradus in fronte habeat. Sed etsi vulgo Dianae ascribitur, tamen rationes satis firmae ad hoc probandum non suppetunt[1]). Cetera templa Graeca, quoad certius aliquid de numero graduum innotuit, tres exhibent, Pompeiano Dorico[2]), quod novem in fronte et Dianae Propylaeae[3]) Eleusinio, quod quinque in fronte habet, exceptis. Fuerint licet omnia deis Olympicis consecrata, quod non constat, tamen inde hoc tantum concludi possit, cultum deorum Olympicorum longe celeberrimum fuisse, non concludi possit, deos inferos tres gradus (vel imparem numerum) habere non potuisse exemplis fortuito non extantibus.

Restat, ut de novo adminiculo loquar, quod Adlerus Boetticheri doctrinae ex sepulcralibus monumentis afferre studuit[4]), quae ab hac quaestione prorsus aliena duco. Etsi enim στῆλαι nonnullae duobus gradibus impositae sunt, quid hoc ad hanc, quae est de templorum gradibus, quaestionem facit? Si omnino discrimen inter deos et heroes in graduum numero esset, ex

---

1) cf. Schubring, Philol. XXII p. 636 sqq.
2) Overbeck, Pompeji p. 89.
3) Alterthuemer von Ionien c. V, 1 et 7.
4) Arch. Ztg. 1873 p. 109 (N. F. V.).

nulla alia causa ortum esse posset nisi quod quaedam leges de templo intrando observari debuissent, gradus autem monumentorum sepulcralium nemo ingreditur, immo propterea tantum supponuntur, ut illud monumentum quasi absolutum et sacrum a solo profano segregent, plane igitur respondent gradibus, qui templum in omnibus lateribus circumdant (κρηπίδωμα), quos ad nostram quaestionem non pertinere cum hic tantum de eis, qui in fronte templi aditum aperiant, agatur, iam supra monui.

Idem quod templorum parietinae, docent loci scriptorum, quibus templa commemorantur vel describuntur. Nullo enim modo cum Boetticheri doctrina conciliari potest, quod Phlyae *Δημήτηρ Ἀνησιδώρα, Ζεὺς Κτήσιος, Ἀθηνᾶ Τιθρωνή, Κόρη Πρωτογένη, Σεμναί* in uno templo adorabantur [1]). (*ναὸς δὲ ἕτερος ἔχει βωμοὺς Δήμητρος* ect.), quorum Iupiter et Minerva haud dubie Olympici, *Σεμναί* inferae erant; probabilissimum est etiam eos, quos Pausanias antea nominavit, quibusque hos illis verbis *ναὸς δὲ* ect. opposuit, in uno templo esse cultos, inter quos Apollo et Diana haut dubie Olympici, Tellus infera erat [2]). Boetticher autem non satis habens illam legem de gradibus, quibus ad stylobatam ascendatur protulisse, etiam de eis, quibus pronaus intretur, valere contendit, quod vel minus probari posse, quam priorem legem facile est ad intellegendum, primum enim difficile est, stylobatam Thesēi (pronai sc.) altitudine et latitudine disparem pro secundo gradu habere, deinde minime liquet, cur haec lex in pronao valuerit, in cella autem etiam sanctiore non valuerit, quod exemplis demonstrari potest; in templo, quem dicunt, Concordiae Agrigentino ad pronaum duobus, ad cellam uno gradu ascenditur, contra in templo Herculis ad pronaum uno, duobus ad cellam. Omnia denique templa, quae in fronte parem numerum graduum et in pronao unum [3]) exhibent (ut Syracusanus) Boettichero adversantur; si

1) Paus. I, 31, 2.

2) Philonis (de VII. spectaculis) κρηπὶς δεκάσταθμος, quam Wachsmuthius laudat, nullam vim habet, quia nil obstat quin etiam hic minor gradus in fronte neglectus sit.

3) Exemplum templi, quod parem numerum infronte, tres, vel maiorem numerum imparem in pronao haberet, non inveni.

dextro pede pronaum ingrediaris, Boetticheri lex laeditur, nam in herois in primo gradu laevus est ponendus; si laevo, non minus, nam in herois in summo gradu dexter pes ponitur. Eodem modo, quae in fronte imparem, in pronao parem numerum habent. Ceterum ne de re certa longus sim, numerum graduum pronai minime cum numero graduum in fronte templi positorum conspirasse, optime intellegas ex hoc conspectu graduum templorum Selinuntinorum[1]).

A in fronte 7,		ad thesaurum[2]) 3,	ad adyton 3
C „ 9,	ad pronaum 3,	„ 4,	„ 1
D „ 5,	„ 2,	„ 1,	„ 5
E „ 11,	„ 1,	„ 6[3]),	„ 4 (?)
F „ 4,	„ 1,	„ 2.	

§ 6.

3. Nec magis rationibus ex re ipsa petitis fulciri potest Boetticheri lex, nisi ludibrii ergo ita defendere velis, ut in cultu heroum numerum dualem magnam vim habere dicas. Heroibus secundo loco post Iovem Olympicum libabatur[4]), Pythagorei *τοῖς μὲν οὐρανίοις περισσὰ θύειν, ἄρτια δὲ τοῖς χθονίοις* sanxerunt[5]). Similia refert Plato[6]) Pythagoreorum amicus (*τοῖς χθονίοις ἄρτια καὶ δεύτερα καὶ ἀριστερὰ νέμων, τοῖς δὲ τούτων ἄνωθεν τὰ περιττὰ καὶ ἀντίφωνα τοῖς ἔμπροσθεν ῥηθεῖσιν*. Secundum Plutarchum[7]) denique heroibus secundo quoque mensis die sacra fiebant. Quamquam ne haec quidem praecepta omnibus Graecis communia fuisse videntur, cum Plutarchus morem *ἄρτια* sacrificandi non ut Graecum sed Pythagoricum laudet, id quod Platonem ex eodem fonte haec hausisse valde probabile reddit. Sed quid haec omnia ad gradus templi?

---

1) de gradibus templi G nondum satis exploratis cf. Cavallarium, bull. IV, p. 23, 25, 26.

2) Benndorfii denominationem retineo quamvis a Cavallario (Bullett. Palermiti 1873 p. 12 negatam, ne res ab hac quaestione alienas immioceam.

3) apud Serradifalconem: 3. Cavallari bull. IV, p. 37, 3.

4) Pollux VI, 15.

5) Plut. Num. 14.

6) de legg. IV, p. 717.

7) Quaest. Rom. 25.

Contra rationibus ex re ipsa petitis Boetticheri doctrina refelli potest. Iam Gurlittus monuit, tres gradus singulis interpositis sex i. e. imparem numerum parem fieri, ita ut plane contrarium efficiatur atque illa lex voluit. Iam vero, cum in plerisque templis tales gradus intermedii interpositi fuerint, in aliis quidem minore gradu olim in fronte posito numerus impar fortasse servatus erat, in aliis autem hoc non esse factum etiam nunc deprehendimus. Parthenonem certo scimus nullum alium gradum nisi tres subdivisos habuisse[1]), qui secundum Boetticheri regulam aut eodem modo debuisset esse constructus, quo templum Iovis Olympiae duos maiores gradus ($1^2/_3$ pedes latos) unumque minorem ($^2/_3$ pedes latum) exhibens[2]) aut praeter illos tres pares gradus quartum minorem habere, quorum utrumque Boetticher ipse refutat[3]). Ceterum intellegi non potest, cur cum illa regula data esset, ne adverso omine supplex templum intraret, in heroibus vel inferis adeundis Graeci sibi ipsi adversum omen excitaturi fuerint. Ipse Boetticher hoc sensit; postquam enim dixit: ‚*Solche Anordnung der Stufenzahl entsprach der alten Cultusvorschrift „bei Goettertempeln mit dem rechten als dem glücklichen Fusse“ (die Stiege an und im Pronaos auszutreten*‘) non pergit: ‚*bei Heroentempeln mit dem linken als dem unglücklichen*‘, nempe quod ipsi nimis perversum videbatur, sed simpliciter ‚*mit dem linken Fusse*‘. Quid? quod lex illa ne sacris quidem aedificiis solis reservata erat, sed etiam in profanis usu venit cf. Petron. c. 30. *Cum conaremur in triclinium intrare exclamavit unus e pueris, qui super hoc officium erat positus* ‚*dextro pede*‘ (*super hoc officium*, solita igitur erat, non festive e cultu sacro ad triclinium translata consuetudo). Etsi haec apud Romanum legimus, tamen, quod dextrum latus singularem vim habet, Graecum morem proponi indicat. Num credibile est, quod in aedibus deorum Olympicorum aeque atque in profanis aedificiis usu venit, solis inferis fuisse negatum. Vitruvius certe generaliter dicit: *Namque cum dextro pede* ***primus*** *gradus ascendatur* (ubique non solum in templis

1) Boetticher, Untersuchungen p. 61.
2) Wittich, Arch. Ztg. 1873 p. 103 (N. F. V.).
3) Boetticher l. c. p. 63. cf. tab. VII.

Olympicorum). Si igitur cetera vera essent, Boetticher multo facilius nobis rationem suam probaret, si in herois dextro pede primum, laevo summum gradum ascensum esse diceret[1]).

§ 7.

1. Sed quamquam Boetticher graduum numero adductus templum nostrum Thesēum esse concessit, tamen in eius directione haesitavit, necesse enim esse ἡρῷον occidentem spectare, quod cum ne ipse quidem in Thesēo certo affirmare auderet, receptaculum sibi parare studuit solita sua de templis doctrina; templum enim cultu carens etiam cultus legibus solutum esse, quare etsi heroa occidentem spectare necesse esset, tamen nil obstare quin thesaurus Thesĕi orientem spectarit. Ad hos, qui illam doctrinam, ut ego, omnino improbant, haec ratio nihil pertinet, sed cum de hac re nondum omnes consentiant[2]), quam ea vim in Thesēo habeat, accuratius est considerandum. Fortasse quispiam existimarit templum quod Boetticher appellat agonale, aptissimum esse Thesĕo, qui tam firmo vinculo cum republica Atheniensium coniunctus erat in cuiusque honorem ludi (Θήσεια) cum λαμπαδηδρομίαις celebrabantur. Sed eae rationes, quae solae in Parthenone illi doctrinae aliquam probabilitatem conciliant (ἱεροσυλία Periclis et absentia sacerdotis) plane desunt in Thesēo. An sacerdotem, qui in inscriptionibus theatri commemoratur templum non curasse, τάφῳ nescio cui sacra fecisse existimes? Limina porro intercolumniorum et foramina in columnis incisa demonstrant quidem pronaum et posticum cancellis fuisse clausum, non vero demonstrant, templum illud cultui non inservisse, ut Petersenius p. 50 docet. Quo maior autem differentia, quam inter Erechtheum et Parthenonem, inter aram in peribolo[3]) et Thesēum splendidissimum templum exstat, eo incredibilius est, deterrimum domicilium deo, pulcherrimum eius thosauro fuisse aedificatum.

1) Wachsmuthius in Mus. Rhen. XXIV p. 43 sq. *Wenigstens kann ich es nicht reimen, wie man bei zwei Stufen mit dem linken Fuss die Stiege an und im Pronaos austritt.*

2) quamquam luculentissime de hac re Petersenus (d. Kunst d. Pheidias p. 2—104) disputavit.

3) quod σηκός significare potest (cf. Boetticher Tektonik IV p. 14) sed praeter hoc etiam cellam templi significat (Ross Theseion p. 23 sq.)

In catalogo Musei Berolinensis p. 345 sqq. Boetticher id, quod antea dubitanter coniecerat pro certo iudicavit templumque nostrum occidentem spectasse autumavit. Eo quod centauromachia quasi titulus occidentali fronti infixa esset, posticum ut heroum significatum esse, cellam autem orientem spectantem thesaurum Theseï continuisse. Haec opinio non solum falsa est, quod templum, ut Wachsmuthius[1]) eleganter demonstravit, orientem spectavit, sed etinm multo minus probabilis, quam prior, quod Boetticher nemini persuadebit ἄγαλμα vel τάφον in vestibulo, ut ita dicam, fuisse, in ipsa autem domo, cuius vice haud dubie cella fungitur, thesaurum depositum fuisse. Quodsi igitur hoc refugium nobismet ipsi praeclusimus nihil aliud relinquetur, nisi aut non necesse esse Theseï templum orientem spectare aut illud etiam nunc extans templum non esse Thesēum. At quomodo Boetticher Theseï templum occidentem spectare necesse esse probavit id quod Wachsmuthio persuasit? Theseus, ait, heros erat, heroum autem templa occidentem versus erant directa; quid tandem hoc ad Thesēum? Theseus sane heros erat, sed ut deus colebatur, si omnino igitur templum ei dedicabatur, quod paucissimis heroibus accidit ita ut hic iam paene divinus sit honor, hoc templum certe quod plane ab heroum cultu abhorrebat, secundum heroici cultus leges constructum esse non debuit. Quidquid igitur de cultu heroico statuemus, minime ad Thesēum est referendum. Sed ne lex quidem ipsa a Boettichero ad Thesēum adhibita mihi recta esse videtur, quam nunc accuratius disquiramus.

Ubi omnino de templorum directione agitur, nunquam inter deorum Olympicorum et inferorum vel heroum templa distinguitur. Lucian. de dom. 6. *τὸ γὰρ τῆς τε ἡμέρας πρὸς τὸ κάλλιστον ἀποβλέπειν, κάλλιστον δὲ αὐτῆς καὶ ποθεινότατον ἡ ἀρχή, καὶ τὸν ἥλιον ὑπερκύψαντα εὐθὺς ὑποδέχεσθαι καὶ τοῦ φωτὸς ἐμπίμπλασθαι ἐς κόρον ἀναπεπταμένων τῶν θυρῶν καθ' ὅ καὶ τὰ ἱερὰ βλέποντα ἐποίουν οἱ παλαιοί.* Porphyr. de antr. Nymph. 3 (Hercher) . . *ὡς ἂν σχεδόν πάντων τῶν ἱερῶν τά μὲν ἀγάλματα καὶ τὰς εἰσόδους ἐχόντων πρὸς ἀνατολὰς τετραμμένας, τῶν δὲ εἰσιόντων πρὸς δύσιν ἀφορώντων, ὅταν ἀντιπρόσωποι τῶν*

1) in Mus. Rhen. N. F. XXIV p. 42 sq.

ἀγαλμάτων ἑστῶτες τοῖς θεοῖς τὰς λιτὰς καὶ θεραπείας προσάγωσι. cf. Cassius Dio LIV, 7. Num Plutarchus Num. 14, qui de more sacrificandi Pythagoreorum a Numa ad Romanos translato disserens haec habet: *πρὸς ἕω βλεπόντων τῶν ἱερῶν*, huc sit revocandus, non liquet, cum Graecane an Romana templa significarit, diiudicari nequeat.

Iam vero plane contrarium dicere videtur Clemens Alex. Stromm. VII p. 307 Sylb. *ὅθεν καὶ τὰ παλαίτατα τῶν ἱερῶν πρὸς δύσιν ἔβλεπεν, ἵνα οἱ ἀπαντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἱστάμενοι πρὸς ἀνατολὴν τρέπεσθαι διδάσκωνται.*

Quae difficultas nullo modo explicari possit, nisi unde Clementis sententia manarit aliunde doceamur; hoc enim praeceptum, quod in Graecis templis et secundum parietinas templorum restantes et scriptorum locos inauditum est, a gramaticis Latinis antiquis architectis, nempe Romanis, ascribitur, ad Romana igitur non Graeca templa erit referendum:

Hygin. p. 169. Lachm. *Secundum antiquam consuetudinem limites diriguntur, quare non omnis agrorum mensura in orientem potius, quam in occidentem spectat, in orientem sicut aedes sacrae; nam antiqui architecti in occidentem templa recte spectare scripserunt; postea placuit omnem religionem eo convertere, ex qua parte caeli terra illuminatur.* Frontin p. 27 *sicut quidam architecti delubra in occidentem recte spectare scripserunt.* Quibus haud dubie adiungendus est Vitruvius IV, 5. *Regiones autem, quas debent spectare aedes sacrae deorum immortalium, sic erunt, constituendae, ut si nulla ratio impedierit liberaque fuerit potestas, aedis signumque, quod erit in cella conlocatum spectet ad vespertinam caeli regionem, uti qui adierint ad aram immolantes aut sacrificia facientes spectent ad partem caeli orientis simulacrum, quod erit in aede et ita vota suscipientes contueantur eādem et orientem caelum ipsaque simulacra videantur exorientia contueri supplicantes et sacrificantes (quod aras omnes deorum necesse esse videantur ad orientem spectare* [1]). Haec etiam minus

1) Verba uncis inclusa Rosius et Mueller-Struebingus eiecerunt, quod falsum esse Nissenius Templum 174 sq. demonstrat recte ‚videatur' pro ‚videantur' corrigens. Totum locum Boetticher (Tektonik IV, p. 34) utut potuit, cum ceteris scriptorum Graecorum conciliare studuit, quem optime redarguit Nisse-

quam Clementis verba, qui de antiquis tantum loquitur, de Graecis templis dicta esse posse luce clarius est. Ex omnibus, quae disputavimus apparet, Graecos scriptores generaliter, templa orientem spectare affirmare. Paucas autem exceptiones, quas statuunt (Porph. *σχεδὸν πάντων*) non templa inferorum vel heroum fuisse, templa etiam nunc exstantia docent[1]).

§ 8.

2. Paene omnia templa etiam nunc exstantia orientem spectant, quamquam inter tot nullum inferi dei templum fuisse improbabile est; Aedem autem Apollinis Phigaleensis non ideo a solita directione abhorrere, quod infero vel heroi sit consecrata, ex nomine dei, de quo minime dubitari potest, apparet. Meridiem vel regionem inter meridiem et occidentem mediam spectat templum Musarum et fortasse *'Αρτάμιτος 'Ιακυνθοτρόφου* Cnidi. Illud templum Musis (ut Newtonio videtur propter aram Apollini Pythio dedicatam, quam ibi invenit, cum Apolline coniunctis) consecratum fuisse constat, quae haud dubie Olympiis sunt adnumerandae (*Μοῦσαι 'Ολυμπιάδες* Hom. Il. II, 484 et 491 ect.). Hoc alterum templum Dianae fuisse, non constat (Leake, Texier: Veneri) certe minime pro Boettichero facit[2]). De Corinthiaco templo occidentem spectanti (Kunstblatt 1840 p. 71) nihil exploratum habeo, cum illum librum inspicere non potuerim.

Boetticheri denique lex etiam locis scriptorum, quibus templa commemorantur vel describuntur, refellitur. Si enim lex illa valuisset, deis Olympicis non potuissent templa duplicia ita construi, ut alterum orientem, alterum occidentem spectaret

---

nus l. c., quamvis falso corrigens: *spectent ad partem caeli orientis et simulacrum: et ita vota suscipientes contueantur aedem et orientem caeli,* falso, quod correcturis non opus est.

1) num certis legibus circumscriptum fuerit, quam partem caeli orientis spectare deberent, nescimus. Nissenianam quidem doctrinam, quidquid de Romanis templis censendum est, ad Graeca transferri non posse, per se verisimile est, cum illa ex gromaticorum disciplina Romanorum propria hausta sit; neque a Nissenio est translata etsi hoc fieri posse videtur existimare.

2) de templis Cnidiis cf. Newton, Halicarnassus, Cnidus ect. I pl. LXVIII, II, 2 p. 428, Travels and discoveries in the Levant II p. 236 sqq. et p. 243 sqq.

id quod in templo inter Argos et Mantineam sito factum est[1]), cuius cella orientalis Veneri, occidentalis Marti erat consecrata. Idem fortasse factum est Mantineae[2]), ubi altera cella Aesculapio altera Latonae eiusque filiis adsignata erat, quamquam non nego, quin *μάλιστά που κατὰ μέσον τοίχῳ διειργόμενος* ita intellegi possint ut murus templum in cellam meridionalem et septentrionalem diviserit[3]), Boetticheri excusatio, quam priori exemplo adhibet ‚*dass beide Gottheiten vielleicht an diesem Orte nicht Opfergenossen waren,*' fortasse causam declarat cur hoc factum sit, sed non demonstrat legem illam hac exceptione non fuisse laesam.

§ 9.

3. At si scriptores veteres et parietinae Boetticheri legi non favent, fortasse rationibus ex re ipsa petitis fulciri potest et revera fulta est, quamvis, ut mihi videtur falsis. Rationem enim cur templa vel simulacra Olympicorum orientem, inferorum occidentem spectent Boetticher inde petit, quod *ἄγαλμα* fronti templi adversum eam regionem spectare debeat, ubi deus vel heros, quem repraesentet, habitet, sedes autem illorum in oriente, horum id occidente sita esse ducantur. Deos Olympicos in oriente habitantes creditos esse nusquam aperte dicitur, sed cum deis Olympicis supplicantes orientem spectarent[4]), non nego facile potuisse fieri, ut quomodo inferi modo sub terra, modo in occidente habitantes putabantur[5]), sic Olympicorum sedes modo in caelo modo in oriente collocaretur. Sed id ipsum quod hae opiniones tam variae et incertae erant, inde templorum directionem pendere non potuisse demonstrat. Huc accedit quod dei marini nec deis Olympiis neque inferis adnumerari possunt, quibus, cum mare versus sacra fiebant[6]), templa mare versus spectare necesse esset, si illa lex valeret, id quod nemodum contendit. Boetticher autem non satis habens,

1) Paus. II, 25, 1.
2) Paus. VIII, 9, 1.
3) Boetticher Tektonik IV p. 297 sq. breviter hoc tetigit Nissen pag. 176.
4) Schoemann, Griech. Alterthuemer II² pag. 249.
5) Preller, Griech. Mythol, I². pag. 635.
6) Hom. Il. I, 351; Pind. A. I, 71.

simulacra orientem spectare etiam sacrificantes semper orientem spectare debuisse contendit, quod sane fecerunt, si preces nulli simulacro in templo posito offerebant, contra si ante simulacrum sacra faciebant, ut par est, ei adversi erant[1]). Boetticher tamen, ut utraque lex servari posset ad Romanum morem confugit, secundum quem sacrificantes primo templum adspiciebant, deinde in orientem se convertebant, templo denique se rursus advertebant, quod eo minus in Graecos est transferendum, cum Plutarchus hunc morem ut Pythagoricum i. e. a communi diversum, ceteri scriptores ut Romanum laudent[2]).

Nisi igitur plus sapere volumus, quam scriptores antiqui, concedendum est sacrificantes simulacro fuisse obversos et hanc legem potiorem habuisse, quam ut orientem spectarent, templorum autem directionem minime suspensam fuisse e regione, quam spectabant, si nulli simulacro supplicabant.

Wachsmuthius[3]) quidem non solum directionem sacrificantium sed etiam templorum demonstrari censet verbis scholiastae Pindari (ad Nem. III, 110) *ἔθος πρὸς δυσμὰς ἱερουργεῖν τοῖς ἥρωσι, κατὰ δὲ τὰς ἀνατολὰς τοῖς θεοῖς,* quod ea tantum condicione illud evinceret, si templa semper eam regionem spectassent, quam sacrificantes spectabant, quod modo refutavi, et si *πρὸς δυσμάς* hic occidentem versus significaret, quod falsum esse statim intelleges si ipsa Pindari verba, quae scholiastes interpretatur leges: (Herculis et Megarae filiis) *τοῖσιν ἐν δυσμαῖσιν αὐγᾶν φλὸξ ἀνατελλομένα συνεχὲς παννυχίζει αἰθέρα κνισσᾶντι λακτίζοισα καπνῷ.* De tempore igitur vespertino, non de regione occidentali verba fiunt[4]). Aeque de vespertino tempore sacrificiorum heroibus vel mortuis oblatorum loquitur Apoll. Rhod. I, 585 (cf. adnotationem scholiastae *τοῖς μὲν κατοιχομένοις: ἑσπέριοι, ὑπὸ κνέφας, ὡς περὶ ἡλίου δυσμάς* — Olympiis *ὑπὸ τὴν ἕω, ἀνατέλλοντος ἡλίου*) Paus. II, 11, 17 (*μετὰ ἥλιον δύναντα)*

1) cfr. Porphyrii locum, quem supra laudavi; Lucian de sacr. 12. *προσάγουσι τῷ ναῷ καὶ φονεύουσιν ἐν ὀφθαλμοῖς θεοῦ.* Simulacris oscula iaciebant cf. Schoemann Gr. Alt. II, 249; Hermann G. A. § 21 A. 16.

2) cf. Hermann G. A. 21, § 19; Nissen templ. p. 170.

3) Rhein. Mus. XXIV pag. 42.

4) Wachsmuthium haec verba ita accepisse, quasi significarent: solebant templa heroibus occidentem versus aedificare, incredibile puto.

Diog. Laert. 8, 33 *(ἀπὸ μέσου ἡμέρας)* schol. ad Hes. O. et D. v. 767 *(τοῖς μὲν θεοῖς τὰ πρὸς μεσημβρίαν — ἥρωσι δὲ τὰ μετὰ μεσ.)* Etym. Magn. s. v. *ἱερὸν ἦμαρ* (*ἀπὸ μεσημβρίας τοῖς καταχθονίοις — ἀπὸ πρωὶ ἕως δείλης· κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ἔθυον τοῖς Ὀλυμπίοις θεοῖς*. Eustath. ad Il. 8, 65 (*τὸ μεσημβρινόν* — contra *τὸ ἀπὸ μεσημβρίας, ἐν ᾧ ἔθυον ὡς τὰ πολλὰ* s. c. Olympiis).

Solus locus qui pro Boettichero facere mihi videtur legitur apud Athenaeum IX pag. 410 ubi e Clidemi libro, qui *ἐξηγητικός* inscribitur, excerpta haec de sacrificiis mortuis oblatis praecipit: *ὄρυξαι βόθυνον πρὸς ἑσπέραν τοῦ σήματος, ἔπειτα παρὰ τὸ βόθυνον πρὸς ἑσπέραν βλέπε*; negari enim non potest, proximam analogiam inter heroum et mortuorum cultum intercessisse [1]). Sed quid inde discimus de templorum directione. Sane probabile non est, si sepulcrum in templo erat, *ἐναγίσματα* igitur in occidentali eius parte offerebantur, frontem templi a loco, ubi illa fiebant, fuisse aversam. Sed primum nescimus num sacrificia heroum prorsus eadem fuerint atque mortuorum [2]), deinde saepius sepulcrum non erat in templo, sed in loco aliquo remoto, ut Hippolyti, de quo supra egimus et Pandionis Megarae [3]), gravissimum autem est, quod ne sepulcra quidem ipsa et monumenta sepulcralia, e quibus templorum heroicorum directionem Boetticher concludit, occidentalem directionem observant [4]).

Iam vero cum templa paucissima heroum innotuerint, valde dubium est, num omnino heroi tantus paene divinus honor tributus sit, quin cultus eius a ratione qua mortuis fiebat, ita distingueretur, ut etiam in templo divino more exstructo posset offerri. Theseï cultum certe prorsus divinum fuisse supra exposui.

1) Hermann G. A. § 16 A. 2.

2) cf. Hermann G. A. § 16 A. 17. Preller in Paulyi Real. Enc. s. v. Heros III pag. 1265: *In wieweit nun von diesem Heroencult im weitesten Sinn des Wortes, wo jeder Todte ein Heros ist, der Heroencult im engeren Sinn, d. h. der Dienst der Heroen des Epos verschieden war, das ist schwer zu sagen.*

3) In Theseo quidem hoc non est probabile, cum praecipue ideo sit exstructum ut ossa Theseï digno modo conderentur.

4) cf. praeter ea quae Schoemannus. G. A. II² pag. 547 laudat E. Curtius Att. Stud. (Ges. Abh. d. Goett. Ges. d. Wiss. XI) pag. 71. C. Curtius. Arch. Ztg. 1871 (IV N. F.) pag. 13 et 34.

Cap. IV.

Cum sic demonstraverim nihil obstare, quominus templum nostrum Thesēum appelletur, templum autem ipsum hanc denominationem efflagitare, finita esset quaestio, nisi maiorem etiam vim argumentis illis accrescere putarem, si quam futiles sint aliae denominationes quotque procreent difficultates proponam.

§ 1.

Ac Rossius [1]) quidem, ut aliquo nomine templum donaret, Marti ascripsit, quod partim Cyriaci Anconitani verbis partim rationibus e topographia petitis fulsit. Cyriacus enim inscriptioni Graecae, quae nunc in Thesēo extat, haec superscripsit: *‚Ad marmoream aedem Martis.'* Sed ipse quam debile hoc argumentum sit, sensit (pag. 58): *Auf einer muendlichen Ueberlieferung unter den damaligen Einwohnern Athens kann das nicht beruhen, denn der wenig spaetere Wiener Anonymus kennt, wie wir gesehen, keinen Namen für das Gebäude* (haec quidem non satisfacere ad demonstrandum nullam antiquam traditionem extitisse, Anon. Paris. nuper repertus demonstrat) . . . *Wahrscheinlich ist es daher ein blosser Zufall, dass er dem Tempel eine Benennung gegeben, die mit unserer auf Gruende gestuetzten Behauptung uebereinstimmt.* Rectissime, nam ex ratione, qua Cyriacum in colligendis inscriptionibus usum esse constat [2]), pugnis in metopis et zophoro sculptis eum motum templum illo nomine condonasse apparet, quod tanta proelia ei in Martis templo aptissima videbantur. Pausaniae autem locum, quo Martis templi mentionem facit, perperam Rossius tractavit. Pausanias enim aperte post eponymos statuamque Demosthenis et ante statuas Harmodii et Aristogitonis illud templum commemorat, prope quod cum aliorum tum Pindari mentionem inicit, quem prope Harmodium et Aristogitonem stetisse dicit. Rossius igitur, cum eponymos illas statuas hominum in dracones vel (ut Rossius vult) in draconem et piscem exeuntium

1) Luculentissime eum refutavit E. Curtius Arch. Ztg. 1843 pag. 99 sqq.

2) cf. Voigt, Wiederbelebung des klassischen Alterthums pag. 143; O. Jahn, Populäre Aufsätze pag. 333. Michaelis Parthenon pag. 54.

haberet, quae medio in foro septentrionem versus effossae sunt [1]), Pindarique statuam prope porticum regiam fuisse ex Ps. Aesch. Ep. IV, 3 concluderet, facere non potuit, quin etiam templum Martis prope illa loca i. e. in septentrionali fori parte situm fuisse iudicaret. Sed nunc [2]) illas statuas eponymos non esse, certo constat, quod iam Pausaniae verba *ἀνωτέρω δέ* post *βουλευτήριον* et *θόλον* docere potuerunt. Aeschinis autem locus omnino cum Pausania conciliari nequit. Si enim Pindarus prope Harmodium et Aristogitonem, quos sub arce dedicatos fuisse constat positus erat, longe a porticu regia distabat, non *πρὸ αὐτῆς* erat, aut igitur hoc concedendum est aut omnino Pausaniae descriptio respuenda, quod si fiat etiam tota Rossii argumentatio in Pausania nixa collabetur [3]). De Demosthenis autem statua hallucinatur R., si eam prope Thesēum sitam fuisse censet; enumeratis enim aedificiis eis, quae inter porticum regiam et statuam Demosthenis vel prope eas Pausanias aliique scriptores referunt et demonstrata eorum coniunctione se effecisse putat, ut etiam statua Demosthenis prope illam porticum sita fuerit, quasi vero aedificia, quae inter eas enumeravit, non satis magnum intervallum iam per se consumment. Quamquam igitur ne ego quidem accuratius locum, quo statua illa steterit, definire possum, tamen tantum abest, ut Pausaniae ordo nos cogat templum Martis in septentrionali fori parte collocare ut is ipse in meridionali fori parte illud fuisse ostendat (prope tyrannicidas). Neque vero quicquam probabilius est, quam templum Martis prope collem Martis fuisse. Thesēum certe nostrum Martis templum esse non posse etiam tribus aliis speciosissimis rationibus Curtius [4]) docuit, primum quod Mars, de quo iudicium Athenis habitum erat *ὁ ἀπότιμος ἐν θεοῖς θεός*) non potuit templum tanti splendoris Athenis habere; deinde quod si revera habuisset, non uno Pausaniae loco eius mentio facta esset, denique quod in sculpturis nihil est, quod facile ad Martem referri possit.

---

1) Ann. der Inst. IX, pag. 109 sq.

2) Arch. Ztg. 1872 (IV N. F.) pag. 164 sq

3) Curtio (Top. pag. 51) de Pindari statua agenti in universum assentior, etsi explicationem verborum *πρὸ τῆς βασ. στ.* probare nequeo.

4) Arch. Ztg. 1843, pag. 101.

§ 2.

Sed ne ipse quidem Rossius magnam vim denominationi suae arrogavit, ipse enim p. 58 in adnotatione addidit templum nostrum etiam Apollini Patroo dedicatum fuisse posse, quod etiam magis invita Minerva excogitavit. Nam quaqua via Pausanias urbem intravit haud procul a templo nostro forum eum ingressum esse, nemo negat; antequam autem ad Apollinis templum pervenit duas magnas porticus commemorat, quarum alteram *πλησίον,* i. e. ut ordo requirit meridiem versus, Apollinis templum excepit. Sculpturas vero etiam minus ad Apollinem quam ad Martem referri posse nemo non videt.

§ 3.

Melius firmata est alia sententia. Bursianus[1]) enim dubitanter et Wachsmuthius primo quidem coniecturam suam improbans[2]), mox tamen audacius[3]) templum nostrum Heracleum esse iudicaverunt. Concedo ex topographia nihil proferri posse quod tali denominationi adversetur; cum enim schol. Arist. Ran. 501 *ἐπιφανέστατον ἱερὸν ἐν Μελίτῃ*) hoc templum in pago Melitensi collocet, Curtius autem clivum Thesēi pago Melitensi adnumerandum esse demonstraverit, optime Heracleum hoc loco situm esse potuit. Hoc quoque concedatur Wachsmuthio ea quae de Heraclēi aetate scimus etiam nostro templo apta esse. Nam cum statua Herculis ab Agelada confecta[4]) in eo commemoretur, probabile fit, etiam templum iam ante Phidiae, discipuli Ageladae aetatem exstructum fuisse, quod prorsus concinit cum eis, quae supra de tempore nostri templi dicta sunt. Sed praeterquam quod, ut ipse Wachsmuthius vidit, probabile non est templum tam illustre solo illo scholiastae loco obscuro esse commemoratum, zophorum templi, qui multo maioris est momenti quam metopae nullam aliam denominationem nisi Theseum admittere semper est tenendum. Neque hoc

1) Geogr. v. Griechenland p. 293.
2) Arch. Ztg. 1863 p. 98.
3) Rhein. Mus. N. F. XXIII p. 12.
4) statuam illam non Peloponnesiaco demum bello sed multis annis ante propositam.

Wachsmuthius non vidit; in adnotatione enim addidit fortasse templum nostrum Melanippeum esse appellandum *'so dasz man wenigstens in der Familie des Theseus bliebe'*, i. e. quod sculpturae ad nullum alium nisi Thesēum referri possunt.

§ 4.

Nova appellatio prolata est a Pervanoglo[1]), qui templum nostrum Hephaesteum fuisse censuit. Si aperte egisset, nihil dicere potuisset, nisi se sibi illud persuasisse, quod in illa regione (in Colono Agoraeo, ut nunc constat occidentali fori parti attribuendo) etiam Hephaesteum fuisse, scriptorum nonnullorum loci evincerent[2]), etsi templum ipsum ne minimam quidem ansam illi denominationi daret; quod cum facere eum taederet multis paginis de itinere Pausaniae, de portis Athenarum nonnullisque aliis rebus verba fecit, quae cuivis alii de topographia dissertationi aeque apta erant; Hephaesteum enim prope vel in colle Thesēi fuisse omissis cum omnibus reliquis locis tum Pausaniae tota descriptione antecedenti, ex solis verbis *ὑπὲρ δὲ στοὰν βασίλειον* discimus. At ne immerito Pervanogloum incusaverim, non plane irrita erant, quae antea disputavit; locum enim, quo *πυλίς* fuisset, definivit; quam cum Pausanias ab Aphrodisio prope Hephaesteum sito ad porticum Peisianacteam procedens commemoraret, etiam Hephaesteum accuratius definitum esse! Taedet de hac congerie errorum fusius disputare. Nemo enim non videt quam vana sit definitio tanto labore demonstratā *'in planitie inter Thesēi collem et Areopagum'* (rationes dignae sunt, quae legantur), quantulumque afferat ad Aphrodisii, nedum Hephaestēi situm accuratius definiendum, etiamsi constet, Aphrodium et *πυλίδα* non longe distare, quod omnino nego. Sculpturae autem nemini, nisi qui templum nostrum Hephaesteum censet esse ac ne huic quidem, nisi „den Kampf der Civilisation gegen die Barbarei" panaceam habet, ad Hephaesteum referendae videbuntur. Lollingus[3]), qui Per-

1) Philol. XXVII p. 660—672.
2) Leake, Top. p. 84 et 186.
3) Nachr. v. d. Goett. Ges. d. Wiss. 1874 nr. 2.

vanogli denominationem suam fecit[1]), quibus illius sententiam firmaret, nonnullas novas attulit rationes, quas tamen plane improbandas censeo. Vereor enim ne nemini probet, metopas Herculis et Theseï facinora continentes, quippe qui vias sacras purgaverint, ad Vulcanum esse referendas; immo si illud urgeremus, ad eum deum referremus, cuius viam sacram purgaverunt. Huc accedit quod illud nobilissium Herculis factum quo sacram Apollinis Pythii viam purgavit (pugna cum Cycno commissa) fortasse plane in metopis omissum est, nisi forte met. VII. de qua propter nutilationem accurate iudicari nequit, huc revocanda est. Ceterum Theseus et Hercules non possunt conferri cum *κελευθοποίοις παισὶν Ἡφαίστου.* Illi robore ac fortitudine vias purgant, hi instrumentis aëneis viam sternunt, at tamen hac tantum de causa *παῖδες Ἡφαίστου* appellantur. Coniunctio autem quam inter zophorum et deum cultum statuit adeo non est arta, ut paene nulla sit. Sic enim ratiocinatur: Ion, quem fig. 15am esse iudicat Xuthi filius est, sub Xuthi figura revera Apollo latet; Apollo autem secundum relationem mythologi non nimis ingeniosi filius est Vulcani et Minervae; timeo ne haec coniunctio etiam laxior sit, quam ea, qua in ceteris sculpturis utitur, humanitatis scilicet cultusque victoria ad Vulcanum referenda.

Quod autem Lollingus et templum nostrum et Hephaesteum in confinio pagi Melitensis et Ceramici situm fuisse autumat probari nequit. Hephaesteum in Colono Agoraeo situm erat (Poll. 7, 132) hunc autem inter pagum Mel. et Ceramicum divisum fuisse nullo modo demonstrari potest, immo (cf. Plut. Lol. 10) totus pago Melitensi adnumerandus videtur. Lollingus quidem Hephaesteum in Ceramico situm fuisse eo demonstrare studet, quod Vulcanus arto vinculo cum figulis coniunctus erat, at arctiore etiam vinculo cum fabris cohaerebat, quorum tabernas prope Heph. sitas fuisse constat (*Χαλκᾶ ὄνομα τόπου, ὅπου ὁ χαλκὸς πιπράσκεται· πιπράσκεται δέ, ὅπου τὸ Ἡφαιστεῖον*). Unde paene certo colligimus Hephaesteum non in figulorum pago situm fuisse.

---

1) quod recte, ut opinor, Minervam *σύνοικον* Vulcani statuit, nihil refert.

§ 5.

Coniecturis modo enumeratis nova est addita a v. d. Adlero[1]), qui templum nostrum non uni deo heroive, sed duplex Theseo et Herculi coniunctis dedicatum fuisse statuit. Ac primam quidem rationem inde petit quod pronaus et porticus antica longior sit, quam opisthodomus et porticus postica, sed ne tum quidem, si nullum aliud templum uni deo consecratum extet, quod similem differentiam exhibeat, quidquam aliud inde concludi posset, nisi eam partem, in qua porticus et parastas longior sit, frontem templi fuisse. Sed extant etiam analogiae, quas quidem accurate describere non possum, sed ita tamen, ut sufficiant ad illud probandum.

Pronaus et porticus antica Heraei Selinuntini opisthodomum et porticum posticam uno metro et tertia ferme parte superant, quantum quidem ex Serradifalconis et Benndorfii delineationibus iudicare licet, quae differentia eam, quae in Theseo animadvertitur (27—33 Leake, Top. p. 363) paene aequiperat. Aeque pronaus opisthodomum superat in Minervae templo Aeginetico, Iovis Nemaei Corinthiaco[2]). Haec tamen duplicia fuisse ne Adlerus quidem contendere audebit.

Altera ratio diversa porticus orientalis et occidentalis structura nititur, quae nihil aliud demonstrat, nisi occidentalem partem posteriorem esse orientali parte. Multa maiores diversitates partium existunt in templis Selinuntinis C et G[3]), quae uni deo consecrata fuisse omnes consentiunt.

Tum opinionem suam eo firmare studuit, quod porta antiqua inter cellam et opisthodomum conspicua demonstraret, id quod opisthodomus nominaretur cellam secundam fuisse quae per portam illam lucem accepisset. Sed praeterquam quod constat, portam illam antiquam non fuisse[4]), id quod Adler eo vix poterit refellere, quod in accuratissima Gurlitti quaestione,

1) Arch. Ztg., N. F. V, p. 108; IV p. 68. Luetzow, Zeitschr. f. bild. Kunst VIII p. 223 et 235 cui Starkius (Nach dem griech. Orient p. 329) aditi pulari videtur.

2) cf. Alterth. v. Ionien cap. VI, 3 et cap. VI, 16.

3) Cavallari, Bullettino della comm. Palermo 1871 p. 11—13; p. 17 sqq. Benndorf p. 24.

4) Zeitschrift f. bild. Kunst VIII p. 89 sq.

utrum plinthus extet necne, non sit examinatum, nihil lucraremur, si porta antiqua esset; neque enim est cur cella cum opisthodomo non potuerit porta esse coniuncta. Quomodo autem Adler opisthodomum nostrum cellam secundam habere potuerit quae per portam illam lucem acceperit, mihi minime liquet, cum satis lucis inter columnas, quae aditum ad opisthodomum aperiunt, permeet. Sed haec tolerabilia sunt. Gravius est, quod Adler Thesēum-Heraclēum statuit; nullo enim scriptoris antiqui loco talis coniunctio commemoratur neque ex ratione qua de illorum templis agitur colligi potest. Euripides hoc tantam dicit Heraclea[1]) olim Thesea fuisse, non illos in uno templo coniunctos fuisse, atque adeo ratio qua Thesēum a Pausania commemoratur, Adleri opinionem prorsus respuit. Quid enim minus probabile est, quam Pausaniam tam accuratum in cultibus singularibus, id quod certe Thesĕi Heraclisque cultus consociati essent, hoc omisisse et parvam partem Thesĕo relictam accurate descripsisse, maiorem et primariam ne verbo quidem tetigisse. Esto tamen ut duae cellae in nostro templo exstiterint, haud dubie tum sculpturae ad alterum referendae in eius cella essent propositae, ad quem pertinebant, quod in nostro templo factum esse non potest, cum duo longiora latera quamvis inter Herculem et Thesĕum secundum Adleri opinionem divisa Thesĕi tantum factis sint ornata. Quod denique analogiam templi Suniensis urget, Vitruvii locus quem laudat, ipse demonstrat easdem proportiones non efficere, ut utrumque templum eiusdem generis fuerit; ac ne Suniense quidem templum mihi videtur duplex fuisse, cum Vitruvii verba: *cellae enim longitudinibus duplices sunt ad latitudines uti reliquae,* clarissima neque obscuritate sequentium sint involvenda, quod si verum est, nihil aliud dicit Vitruvius nisi longitudinem unius cellae duplam latitudinem fuisse.

1) *σοῦ κεκλήσεται.*

Insunt in hoc libello haec capita:



